1624

PROVINCIA DI TORINO
BIBLIOTECA
R b 412

ATHENÆVM
VARIIS PHYLOSOPHIÆ,
IVRISPRVDENTIÆ MILITARIS,
ET CIVILIS POLITICÆ PARTIBVS,
CONSTRVCTVM.

MAGNO CAROLO EMANVELI
SABAVDIÆ DVCI
INVICTISSIMO, SAPIENTISSIMO.
Patriæ Patri;
Italicæ libertatis vindici;
Orbis terrarum miraculo.

Heroum, Militiæ, Pacis, Religionis,
Flori, Honori, Moderatori, Propugnatori.

A Ioanne Tarino Ciue Taurinenſe
CONSECRATVM.

In Alma Taurinorum Academia
Cunctis rei literariæ ſtudioſis oppugnantib.
APERIENDVM

Die 14. menſis Aprilis, Anno MDCXXIIII.

MAGNO
CAROLO EMANVELI
SABAVDIÆ DVCI
Potentiſsimo, Inuictiſsimo.

S*I gloriæ, nominiſq; tui magnitudo SER.ME DVX, vim habet exterorum quoque animos incẽdendi, & ad te ambiendũ trahendi; quid mihi contingere neceſſe eſt, quem tam vicini, immo proximi virtutum tuarum radij perſtringunt? auribus alij laudes tuas acceperunt, ego oculis quotidie conſpicio, quod alij laudant; nec narrari tantùm audio res tuas p̄claras: ſed & geri video. Iure igitur mihi credent, qui in remotioribus Prouincijs conſtituti, tamen ab hoc Titane ſe incaleſcere ſentiũt. Sed hoc tibi, GLORIOS.ME DVX, cum abſolutè mirabilis ſis, aliquid tamen additur, cũ te omnes gentes veneren-*

rentur: nam commune eſt cunctis in ſuis imperijs prædicari; ſed illud eſt omnimodis ſingulare, in extraneis oris laudes proprias inuenire: quia ibi sũt vera iudicia, vbi neminem comprimit vlla timiditas. Diligeris quidem PIISSIME DVX *in proprio ſolo, ſed quanto præſtantiùs eſt in alijs terrarũ partibus amari, in quibus tuum Auguſtiſsimũ* Nomen *veluti archetypon*, Geſta *tanquam ſpeculum*, Vita *vtpotè miraculum ſeruatur. Et cauſæ quidem duæ ſunt, quæ me, vt vehementi quadam flamma ad* Te *impenſiore ſigno obſeruandũ extimulant. Priuata vna, Publica altera. Priuata illa eſt, quòd non ſolùm huius ſoli ſol, & Patriæ* INVICTIS.^VS^ DVX *exiſtas; verum etiam, quia vt ſingulorum, noſtrorumq; præſertim beneuolum Patrem te exhibes: adeout inter tantas negotiorum moles, ad nos humaniter imperialem oculum deflectere non recuſes. Quinimo regia illa tua magnificentia, nihil ſibi dignius arrogat, quàm hanc vnicã gloriam reportare poſſe, ſingulos ſubditorum animos beneficijs deuinctos habere, & benignitate potiùs, quàm armis regere; peregrinorum verò, ex alienis ſuos facere. Nimirùm & hoc* Te *in Heroũ numero reponit, ſic vnumquemq; habere didiciſti, ac ſi ſolum illum habeas: & dum te vniuerſis impendis, ſingulis non ſubducis: ob hoc ipſum dignus, qui omnes regas, quia omnibus ſufficis; dummodo*

ſupe-

ſuperi non abnuant, vt regas. Quamdiu enim te ſeruabimus, ſeruabimur: quamdiu vt DVCEM venerabimur, tamdiu vt patrem experiemur; nam Dominus quidem fuiſti, & es; vt Pater autem feciſti: non iam Pater Patriæ duntaxat, ſed eorum quoque, qui in Patria, & extra Patriam extiterũt. At priuata mitto: Publica, vt pluris ſunt, ſic plures quoq; ſibi deuinciunt. Quanta autem illa? non audet ea calamus exprim re, penicillo partes ſuas cõmittit: nempè coloribus digniora, quàm atramento.

Tuæ ergo gloriæ, ac nomini tuo immortali, noſtrũ Athenæum, & tuarum virtutum, honorumq; thronum hoc in emblemate erigere decreuimus. Quidquid ibi oculo exponitur, in animo tuo reperitur. Hoc vnicum eſt diſcrimen, quòd animus tuus capacior ſit virtutum, quàm charta mea imaginũ. Nec multum contrahes, vt ſpero, ſi plurima non reperias, quæ reperiẽda fuiſſent: fieri enim non poterat, vt tanta, in tantillo comprehenderẽtur. Nec tamen pauca ibi reperies. Ibi tua Pallas, arte, & caſſide armata; nec tàm acumen in haſta, quàm in ingenio ferens; vtrinq; metuenda ſeu ſileat, ſeu minetur. Ibi Iuſtitia, quæ ſolis inſtar, lumen, & æquitatis ſuæ calorem diuitibus pariter, ac pauperibus elargitur: illa itidem, quæ tuis ſubditis tutum, trãquillumq; regnum parat; ac immortalem tuarum virtutum, & honorũ thronum æuiternè perennabit.

Ibi

Ibi Clementia, quæ tibi longè maiorem gloriam ſer-
uauit, ex ſeruatis, quàm ex cæſis hoſtibus: tantoq;
illuſtriorem tuum triumphum illuſtrauit, quãto plu
res ſuperſtites reliquit, de quibus victor exiſteres.
Pulchriùs enim illa duxit, benefaciendo hoſtes vin-
cere, quam potentia illos debellare. Ibi Vigilantia
tua, quæ ſibi ſomnum incidit, vt alijs prolunget: vi-
gilas enim alijs, vt alij tibi dormiant. Ibi immenſa
Liberalitas ſegetem faciens, etiam vbi meſſem non
ſperat: quippe vbi compenſatio ſperatur, non Libe-
ralitas eſt, ſed mercaturæ genus. Quatuor ibi Ma-
tronæ, quæ obſtupeſcentes cũ obſeruaſſent, te primũ
in denſatos hoſtium ordines, tamquam priuatum
militem immiſcentem: obſides, ſumma cum pru-
dentia liberantem: Ciues ab hoſtium manibus ſer-
uantem: primum Ciuitatum muros occupãtem; du-
bitabant an in terris tu ipſe in Martem, an Mars
in te ipſum trãsformatus belligeraret: tamen cum
in ſublimi quadriga lucidiſsimè radiantem victo-
rem, Te tàm potenter vincentem, & victoria tàm
temperatè vtentem cernerent: en tibi ouanti debitã
ſingulæ ſingulam coronam offerunt. Noli mirari
SER.^{ME} DVX, hæc me Concluſionibus meis præ-
miſiſſe, aut æri inſculpſiſſe: Tu ipſe præmiſiſti, &
pectori meo inſculpſiſti faciendo. Ego igitur nullũ
maius, aut itineribus, aut ſtudijs, aut diſputationi,
aut laboribus meis ornamentum præfigere potuiſsẽ,

quàm

quàm id, vndè totius Reipub. noſtræ decus pendet. Nihil enim me magis ornare poteſt, quàm ſi liceat Te *ornare, à quo tota Reſp. noſtra ornatur. Hoc opus, hic labor meus erit, atque hæc diſputatio voti iſtius primitiæ ſunto. Quas ſi ad tuã aram deportatas non diſplicuiſſe ſenſero, vbertatem poſthac agelli mei copioſiorem ſperabo. In Illio vale. Taur. An. 1624. die ſeptima Menſ. April.*

SERENITATIS TVÆ

Inſimus Cliens

Ioannes Tarinus.

MAGNO
CAROLO EMANVELI.
ODE

O Ter potentum maximè Principum,
Et forma Diuûm Carole Cæſarum,
Virtutis, æternæque famæ
Sidereo recolende templo:
Curas mearum, quas tibi noctium,
Mentiſque ſacro non humiles opes
Phœbo negatas, & camęnis
Ore parens foueas benigno;
Tuis repoſtas in penetralibus
Non inuidentûm corripiet furor,
Nec dente corrodet vetuſtas
Pulſa procul foribus Sabaudis;
Interminatis ſemper honoribus
Quicunque lethes aufugiunt aquas
Spretis Athenis, & bicorni
Colle, tuas venerantur arces;
Laudum tuarum Mars Capitolium
Euerberatis quadrijugis petens
Clarus reportatis triumphis
Arma tholis inimica damnat;
Et Martiales, quæ Dea ſubleuat
In æthra gentes, ambitioſior
Palmas, oliuas, & corollas
Fertq;, refertque tuis ab aris;

Tuo

Tuo quieſcet Carole numine
Securus orbis, cum celebraberis
Sublatus in cœlum laborum
Herculeûm rediuiuus hæres.

AD MAGNVM
CAROLVM EMANVELEM
BARTHOLOMÆI FERRERI PRORECTORIS.
EPIGRAMMA.

Accipe ſumme Ducum, ſummorũ gloria Regum,
Æmula TARINVS quæ modò bella ciet.
Pallas ad arma venit, ludit, non lædit in armis,
Dum ferit ora rubor, plaga cruore caret.
Ingenioſa viris acies inſtructa togatis
Viribus ingenij vincitur, & ſtudio.
Hoc virtutis opus, fertur ſine cęde trophæum:
Victori, & victo laurea ſerta manent.
CAROLE ſumme Ducum, cultor ſanctiſſime legum,
Belli, & pacis amor: arbiter ipſe veni.

AD ACERRIMVM PROPVGNATOREM

IOANNEM TARINVM

GASPARIS FRANCISCI CALCANEI. I.V.D.T.

EPIGRAMMA.

MArte potens, ac arte patens TARINE theatrum
Pandis in æternas, æthereaſque vices.
Hic ſedet armatus miles, reſidetq; togatus:
Viribus ille furit, iuribus iſte ferit.
Bellica Lycurgus, pacataq; tempora tractat:
Regibus vt præſit, proſit vt imperijs.
Hic ſua Vitruuius ponit documenta magiſter,
Atria Principibus, templaque ſacra dijs.
Omnia TARINI cedant TAVRINA theatro:
TARINI ingenio nil mage Taurus habet.

FRANCISCI ANTONII DE CORTET, ex Louenciti Dominis.

AD STVDIOSOS ACADEMICOS.

OMnia vincit Amor, nec non labor omnia vincit,
Semper vt ardet Amor, ſic labor ipſe viret.
Ardor amoris honor, celebri labor ardet honore:
Si tibi nullus honor, nec labor vllus erit.
Vt labor Alcidem cœleſtibus intulit aſtris,
Et ſic TARINVM tollet ad aſtra labor.
Excipe Athenæum Nemeſis cultiſſime cœtus:
Hîc amor, atque labor, hîcque triumphat honor.

IN

IN QVARTAM ATHENÆI PORTICVM
ANTONII FERRERI. I. V. D.
PROGRAMMA.

MARTE DVCE, ET AVSPICE MARTE.

MARTEM GRADIVVM
MVSARVM IN CASTRA REDVCTVM
HIC
PHARETRATVS APOLLO
BELLICIS
Cauſis, Conſilijs, Armis, Ducibus;
Munit, Ornat, Armat, Prouidet.
Vobis, ò Togati, & Armati Milites,
Quos æquus amauit Iupiter,
Aut ardens extollit ad æthera
VIRTVS.
Vobis, *inquam*, Quibus
MARTE, ET ARTE
Pro Patria, & Libertate
Pulchram petere per vulnera mortem
CORDI EST.
Hæc Quarta Martis Porticus
Spectanda, & oppugnanda
PROPONITVR,
Viri ergo ferte arma,
Arma ferte viri,
Sed cruenta minus.

AD

AD IOANNEM TARINVM IOANNIS BAPTISTÆ RASCHERI

EPIGRAMMA.

DVM noua Docte pugil proponis olympia, cœlo
Spectabunda ſtetit multa corona Deûm.
Pallas, athenæum cum cerneret eſſe theatrum,
Credidit auſpicijs bella gerenda ſuis.
Nulli trina ſuas ceſſit ſapientia partes,
Quòd ſacra Naturæ porticus vna foret.
Legibus Erigone præſes ciuilibus, aſtans
Romaque diuinis pneumate docta fuit.
Se quoque Gradiuus iactauit adeſſe Patronum,
Clamoſum peterent cum ſua iura forum.
Attamen eligitur tantum tibi Carolus; vnum:
Num pro centeno Numine Numen habes.

IN ATHENÆVM
IOANNIS TARINI
IOANNIS VINCENTII NVVOLI.
EPIGRAMMA.

SCripſerit Illiacas paruo, quod cortice pugnas,
Iuſta tulit laudis præmia docta manus.
Quæ TARINE tibi debetur gloria, libris
Græcia tota nitet ſi ſtudioſa tuis.
Ingenium calamo, præſtat quam Græcia libro,
Artificis ſtudium tam præit iſte labor.

STRE-

STRENVO PROPVGNATORI
IOANNI TARINO.
IGNATIVS BARONIS.

QVo Solon, Socrates, Conon celebrauit Athenas,
Ferro hic, is ſcriptis, legibus ille ſuas.
Solus Athenæum faciens TARINVS in vrbe,
Scripta docet, leges explicat, arma gerit.
Si quæ tres patriæ, patriæ TARINE miniſtras,
Hæc tibi plus debet, quam dedit illa tribus.
Fallor; grata refert, pro ſcriptis, legibus, armis,
Armiger es, ſapiens, iuſtus, & omne ſimul.

IOANNI TARINO RESPONDENTI
Patruo ſuo amoris, & debiti honoris
ergò accinit.

FRANCISCUS DOMINICUS TARINUS.

QVæ rerum Regina potens moderatur habenas:
Sæpius ablatas Lex tibi reddit opes.

Strenuus ingrederis iuris defenſor arenam;
Cum palma laudem mox habiture tuam.

Ius dabit, & debet: ſi det, tunc denique ius eſt.
Si non, dic Leges ius violaſſe ſuas.

BENEVOLO LECTORI.

HOC, benigne Lector, magno animo productum, deuotaq́; manu tuis ſpectandū oculis oblatū humaniter accipe Athenæum. Quid olei, operiſuè in ſe contineat, ſcio: quid verò commendationis apud te conſequuturum ſit, neſcio. Si informe, & inutile: inſectari audacter pergant, qui ex Iouis cerebro oriundi, ſibiq́; in immēſum ſapiunt. Sic iam viuitur, vt peccet, quiſquis de literis aliquid audet. Sed in eo verſor munere, vt otiari non debeam, cum benè de ſtudioſiſſimis huius florentiſſimæ Academiæ alumnis, deq́; Patria noſtra mereri non poſſim, niſi multorum calumnijs hanc primā noſtræ mentis publicam ſtructuram exponam. Nouo tamen Architecto ignoſce; cupidoq́; placendi animo imputa. Pulchrum eſt enim pro viribus agere, aduerſis nequaquam frangi: cum in magnis, & voluiſſe ſatis ſit. Vale.

PHYLOTERVS ACADEMICVS
IN ZOILVM.

Inuide qd magnos audes temerare labores?
Stulte ſile, irridet critica Magnanimus.

ATHENÆI PORTICVS PRIMA.

ARCVS PRIMVS.

EX METAPHYSICA ASSERTIO PRIMA.

PRIMVM primæ noſtri ATHENÆI Porticus Arcum Metaphyſica, præ cæteris nobilitate præſtantior ſcientia, ob ſui obiecti excellentiam, erigit. Ab ea itaq; cum ſumma rerum genera, & principia vniuerſaliſſima comprehendat, omnemq; doctrinam, quodammodo fulciat, atq; ſuſtentet, priuſquam ad particularia deueniamus, principium ducendum exiſtimauimus.

II.

METAPHYSICA igitur, quæ prout particularis, & priuata ſcientia eſt, pars etiam Philoſophiæ ſpeculatiuæ eſt; quatenus verò Metaphyſica dicitur, alijs præſidet Philoſophiæ partibus, & vt domina, ac vniuerſalior, ſapientia nuncupatur. Hæc alijs ſcientijs naturalibus principia diſtribuit, probat, & defendit: altiſſimã cauſã, totius entis creati, contẽplans, quæ eſt DEVS, vndè Theologiæ naturalis nomine meritò decorari poteſt.

III.

HAVD tamen pro ſubiecto adęquato DEVM, vel genus ſubſtantiarum ſeparatarum: vel ſubſtantiam in cõmuni, vel ens ſpecificatiuè ad decem genera: vel reduplicatiuè, vt quibuſdã viſum eſt, ſibi eligit. Sed ens reale

per ſe commune ſubſtãtiæ, & accidenti, DEO, & creaturis quoque.

IIII.

VNA ſciẽtia ſpecie nihilominus reſidet, & tam huius acquiſitionis gratia, quã aliarum, homo qui natura ſcire deſiderat, plus viſum diligit, quã alios ſenſus, eo quòd ad venandas alias ſcientias, & artes, per experimentũ acquiſibiles, maximè conferat.

V.

SOLVS quippè homo artibus, & rationibus viuit, cæterà verò animantia, quędã memorijs, & imaginibus; quædam autem prudentia. Fit autem memoria ex ſenſu; experimentum ex memorijs; ars, & ſcientia ex experimẽto; quòd quidem neceſſarium reputo ad cognitionem complexam tàm principiorum, quàm concluſionum in ſcientijs practicis.

VI.

MELIVS tamen operantur experti, quam artifices; nam operationes ſunt circa ſingularia, quæ tantum ſunt experimentabilia. Artifices nihilominus perfectius cognoſcunt; quia verſantur circa vniuerſalia.

VII.

PRIMVM verò cognitum ab humano intellectu via originis, cognitione quadam confuſa, nõ arbitror eſſe ſingulare ſpeciei ſpecialiſſimę; nec ipſam ſpecialiſſimam ſpeciem, ſed ens concretum quidditate ſenſibili.

VIII.

ENS licet tot, tantaq; genera diuerſa in ſe recludat, nihilominus vnum conceptum dicit, non quidem præciſum à ſubſtantia, & accidente; non æquiuocum, vel vniuocum, ſed analogum analogia attributionis.

Cum

IX.

CVM autem vt ſic ſit cognoſcibile, cognitio autem, & ſcientia per cauſas habeatur; oportet & ipſum cauſas ſui habere, ſaltem quo ad nos, ſi ſecundum ſui totā extenſionem ſumatur.

X.

CAVSÆ iſtæ ſunt in duplici differentia, quædam intrinſecæ ipſum conſequentes; quædam extrinſecæ: primæ dicuntur tranſcendentia videlicet, Vnum, Verum, Bonum, Aliquid, & Res.

XI.

HVIVSCEMODI neque inter ſe, neque ab ente realiter diſtinguuntur; ſed tantum ſecundū rationem in quantum per conceptum formalem vniuſcuiuſq; importatur quidam particularis modus entis; Vnum quippè dicit ens indiuiſum: Verùm adæquationem eius ad intellectum: Bonum appetibilitatem: Aliquid ſuppoſitionem: Res verò eſſentiam, vel naturam.

XII.

AB ente participialiter ſumpto nomen eſſentiæ deſumitur. Eſſentia eſt natura, qua ens habet eſſe. Eſſe eſt prima actualitas, & perfectio cuiuſcunque eſſentiæ, per quam ſortitur determinatum genus, ſpeciem, & differentiam.

XIII.

HINC excluduntur à Metaphyſica cōſideratione omnia entia per accidens, & entia rationis, tanquam imperfecta: eo quòd non habeant ſuum eſſe determinatum in rerum natura.

XIV.

ENS autem perfectum amplectitur omnes ſubſtantias, &

accidentia, quæ ſunt determinati generis, & ſpecierũ: ſubſtantiam tamen principaliter, quia hæc natura, tpe, atq; definitione præcedit: Accidentia autem per ſubſtantiam definiuntur, ſicut & per illam, & in illa accipiunt eſſe.

X.V.

SVBSTANTIA diuiditur in immaterialem, & materialẽ: Materialis in materiam, formam, & cõpoſitum. Compoſitum eſt hoc aliquid. Forma, & materia ſunt partes eſſentiales conſtituentes ipſum, licet diuerſimodè cõcurrant; Materia ſcilicet vt principium indiuiduationis, non autem forma.

X V I.

CONCEDO nihilominus materiam habere actum entitatiuum, poſſibilem exiſtere per Diuinam potentiam ſine forma, vt communior, & verior opinio eſt: puram tamen potentiam eſſe, cognoſcibilem per analogiam ad formam, aut ad materiam artificialium.

X V I I.

PASSIONES autem extrinſecæ inadæquatæ ipſum ens conſequentes ſunt, actus, & potentia; vnum, & multa; neceſſarium, & contingens; finitum, & infinitum; cauſans, & cauſatum, quæ circumuehunt omnia genera.

X V I I I.

ACTVS à potentia præceditur: nam ſimpliciter loquẽdo actus eſt ſemper prior, & ratio cognoſcendi potentiã, hunc omnia appetunt tanquam bonum, & optimum ſui.

ARCVS SECVNDVS.

EX LIBRIS PHYSICORVM.

XIX.

AMBITVIS entis Metaphyſici à Phyſica coarctatur ad ens reale, creatum, finitum, vt mutabilitati ſubiacet: Quare huius Phyloſophiæ partis formale ſubiectum, & adæquatum melius importari fateor per ens mobile, quam per corpus, aut ſubſtantiam mobilem, aut naturalem.

XX.

HVIVSCEMODI entis principia intrinſeca tria præcisè ſunt, ab inuicem cõtraria: videlicet Materia, Forma, & Priuatio. Materia eſt ſubiectum primum, ex quo omnia naturalia fiunt. Forma eſt, quæ dat eſſe rei, & ſpeciem. Priuatio nihil aliud eſt, quàm abiectio eſſe præcedentis in aduentu ſubſequentis, & dicitur principium per accidens.

XXI.

PRINCIPIA extrinſeca ſunt Efficiens, & Finis, quæ cum natura, & forma copulata quatuor genera cauſarũ per ſe conſtituunt; quarum fundamentum eſt ipſa natura, principium motus, & quietis eorum, in quibus eſt, quæ de materia, & forma prædicatur.

XXII.

VNICVIQVE effectui vnam tantum cauſam totalem aſſignamus: attamen cum plura à caſu, & fortunā eueniãt, Caſum, & Fortunã cauſas per accidens appello: à Caſu enim procedũt indeterminata, & immanifeſta; à Fortuna verò, quæ vt in paucioribus contingunt; agentibus

bus tamen ſecundum propoſitum.

XXIII.

SVNT eiuſmodi entis paſſiones, quarum prima adæquata Motus eſt; hunc explico eſſe actum entis in potẽtia, prout in potentia, realiter diſtinctum à ſuo termino, ad quem; accipitq; ſuã vnitatem numericam, ab vnitate mobilis, temporis, & formæ; vnde dicemus, ſi canis è turri in terram cadens, in medio motus moriatur, nõ vnum numero motum eſſe.

XXIV.

MOTVS quædam paſſiones intrinſecæ, quædam extrinſecæ concomitantur; Intrinſecæ, finitum & infinitum: quod quidem infinitum, neque in magnitudine, neque in multitudine reperio. Illud tamen Diuina potentia dari poſſe non ambigimus.

XXV.

EXTRINSECÆ ſunt, Locus, Vacuum, & Tempus Locus eſt ſuperficies prima immobilis corporis continentis, quæ ſemper æquatur locato, eiuſque conſeruatiuus erit, ſi ſit proprius, ſecus ſi communis. Vltimã tamen ſphæram in loco non repono, niſi per ſuas partes.

XXVI.

VACVVM ne detur, ſemper natura nititur; ſi tamen daretur eſſet locus non repletus corpore: poſſibile tamen repleri. Graue nihilominus in illo, motu in inſtanti nõ moueretur, ſed in tempore.

XXVII.

TEMPVS eſt motus menſura, ſecundũ prius, & poſterius. Vnum, & idem rerum omnium corruptibilium: cuius idem inſtans ſemper manens continuat futurum cum præterito, vt finis pręcedẽtis, & principiũ ſubſequẽtis.

OM-

XXVIII.

OMNIS motus fit in tempore, ita vt mouens, & mobile ſint ſimul; Vndè ex mouentibus, & mobilibus fit quaſi vnum mobile, non ſecundum naturam, ſed per continuationem, vſque ad acceſſum vnius primi mouentis penitus immobilis.

XXIX.

MOTVS propriè dicti tres tantum ſpecies dantur. Videlicet augmentatio, alteratio, & loci mutatio: generationem, & corruptionem motus communiter dici permitto: hinc fit, quòd tantum ad quatuor prædicaméta detur, per ſe loquendo, videlicet ad ſubſtantiā, quantitatem, qualitatem, & vbi.

XXX.

HVNC apparet Ariſtotelem in initio octaui Phyſicorum æternum probare voluiſſe, per temporis æternitatem, haud tamen hoc demonſtraſſe intellexit, niſi ex inconuenientibus antiquorum conceſſis.

XXXI.

ASSERERE mundi de facto æternitatem error eſt in fide, de poſſibili verò fidei conſentaneum. Non quidē à caſu, aut ex aliquo materiali principio, ſed per emanationem à primo motore omnium proceſſit, in initio temporum.

XXXII.

ET quamuis DEVS ab æterno potuiſſet creaſſe Angelos, & animas rationales, & ea, quæ ſuapte natura incorruptibilia ſunt; non tamen corruptibilia niſi illa à mutabilitate conſeruaſſet.

ARCVS TERTIVS.

EX LIBRIS DE GENERATIONE.

XXXIII.

GENERATIO eſt mutatio de non eſſe ad eſſe ſimpliciter, cuius primum ſubiectum eſt ipſa materia prima, ex ſe ingenerabilis, & incorruptibilis, in quam reſoluitur vnumquodque, quòd corrumpitur.

XXXIV.

AGENS primarium generationem efficit per ſuam formam: medijs tamen accidentibus, vt inſtrumentis, vel vt conditionibus neceſſario requiſitis, ſine quibus effectus non produceretur.

XXXV.

ACTIO non datur in diſtans ſine medio; neque eiuſdem in ſemetipſum, datur verò reactio per ſe, ſecundum eandem cōtrarietatem duarum qualitatum, in eadem parte ſubiecti, non eodem motu, ſed contrarijs.

XXXVI.

NVLLVM ſimile ſecundum qualitatis gradum, etſi alias diſſimile ſit, poteſt agere in ſuum ſimile, neque poteſt idem corpus agere in ſemetipſum, ſecundum eandem partem actione vniuoca, poteſt tamē aliquando actione æquiuoca.

XXXVII.

REPATIVNTVR in mixtione miſcibilia adinuicem; in qua deſtruuntur eorum formæ ſubſtantiales, & ſeruātur qualitates refractæ, ſub alia tamen forma, quę eſt propria mixti, ſi mixtio ſit perfecta: vnde ſic definitur, quòd

quòd ſit miſcibilium alteratorum vnio.

XXXVIII.

MIXTORVM imperfectorum, quatenus ſunt vapor, & exhalatio, materia propria eſt aqua, & terra: imo ſubſtantialiter iſta ſunt, licet aeream formam ſortiri videantur: complentur tamen lumine vt forma.

ARCVS QVARTVS.

EX LIBRIS DE COELO.

XXXIX.

CONSIDERATO ente mobili tàm ſimpliciter, vt in Phyſicis; quàm ad ſubſtantiam, quantitatem, & qualitatem, vti in generabilibus, miſcibilibus, & corruptibilibus. Modò aliqua de mobili ad vbi, & incorruptibili pono; vt ſunt cœleſtia corpora, compoſita quidem ex forma, & materia, quæ eiuſdem eſt ſpeciei infimæ cum iſtis ſublunaribus.

XL.

NVLLA qualitate paſſibili, nec grauitate, aut leuitate ſunt affecta: quantitatem tamen habent, & qualitates occultas, quibus in hæc inferiora influunt, & maximè lumine, & motu.

XLI.

PENDENT ergo ſublunaria corpora ab influxu cœleſtium, non neceſſario, & ad modum influxus Diuini, ſed ſecundum vigorem, & diuturnam conſeruationem ſui; haud quaquam in liberam hominis voluntatem quidquam ſibi iuris arrogare audent.

XLII.

RARITATEM potius, quam denſitatem habent; licet eorum denſiores partes ſint Stellæ, Planetæ, & via Lactea. quæ omnia emicant lumine à Sole mutuato, in ſe vero ſunt diaphana, & modicum habent luminis.

XLIII.

MOVENTVR autem non propria anima, vt quibuſdam placuit; ſed vel ab intelligentijs; vel à propria corporeitatis forma, quo pacto mouentur grauia, & leuia.

XLIV.

MOTVS Cœlorum ſunt tres: primus quem vocant Raptum; eſtque diurnus ab ortu in occaſum, qui per ſe primo mobili, cæteris verò inferioribus per accidens conuenit. Secundus eſt ab occaſu in ortum, qui per ſe cœlis Planetarum competit, illiſq; naturalis eſt. Tertius trepidationis, qui per ſe cœlo Glaciali, ſeu Cryſtalino attribuitur, quo cæteri titubare cœli coguntur.

XLV.

CESSANTE latione cœlorum annuæ frugum generationes non darentur, quales modo ſunt, quia dependẽt ex tali qualitatum temperie, qualis reſultat ex Aſtrorũ circumuolutione. At verò fruges, ſi tantum expectarent caloris ardorem, Sole præſente, licet immoto, producerẽtur; ſic quoque dicitur Sol, & homo generant hominem.

XLVI.

COELORVM numerus, & ordo reſpectu noſtri hic eſt. Primũ cœlum Lunæ. Secundum Mercurij. Tertiũ Veneris. Quartum Solis. Quintum Martis. Sextum Iouis. Septimum Saturni. Octauum Firmamentum. Nonum Cryſta-

Cryſtalinum. Decimum Primum mobile. Vndecimum Empyreum immobile, & Beatorum ſedes.

XLVII.

NEGARI non poteſt, cœleſtes influxus inclinare hominum voluntatem in hæc, vel illa obiecta. Sic qui naſcuntur ſub Ioue ſunt alacres, propter ſanguinem, quem abundè communicat illud ſydus. Qui ſub Saturno melanchonici, propter frigus, & ſiccitatem defluẽtem ab illo Planeta. Qui verò ſub Marte ſunt ferro, armiſque tractandis habiles. Amentes autem vocantur Lunatici, quia Lunæ ſubſunt.

XLVIII.

TEMERE nihilominus aſſerunt Aſtrologi, dum aiunt hominem ſub tali ſigno natum, eſſe aut Regem, aut Præſidem profuturum; cum id ex hominum pendeat voluntate; non tamen, quin multa probabiliter circa hominum ægritudines, iuxta complexionum temperamenta, præuidere, & affirmare poſſint, ambigimus.

ARCVS QVINTVS.

EX LIBRIS DE ANIMA.

XLIX.

SI mobilitatis ratio non viuentibus competit, multo igitur magis viuentibus, quia illis ab intrinſeco conuenit per propriam formam, quæ eſt anima certiſſima quidem ex parte ſui, at difficillima cognitu, quo ad nos; cognitio tamen, quæ de ea habetur, eſt nobiliſſima.

L.

HANC aſſero cum Ariſtotele eſſe primum principiũ viuendi in vegetabilibus, ſentiendi in animalibus, mouendi in greſſibilibus, & intelligendi in hominibus. Quare colligitur hæc definitio de ipſa in communi cõſiderata; quòd ſit actus primus corporis Phyſici organici, potentia vitam habentis.

LI.

VNAM tamen pono in quocunque compoſito animato, vt formam ſubſtantialem: totam in toto compoſito rationali, & totam in quacunque ipſius parte, ob eiuſdem ſimplicitatem, & indiuiſibilitatem.

LII.

ET quamuis quatuor viuentium gradus admittam; ſcilicet Vegetatiuum, Senſitiuum, Motiuum ſecundum locum, & Intellectiuum; haud tamen quatuor animarũ ſpecies pono, ſed tres; videlicet Vegetatiuam, Senſitiuam, & Intellectiuam; quæ ita ſe habẽt, vt perfectior imperfectiorem in ſui ratione includat.

LIII.

ISTARVM ſingula proprias ſortitur potentias, realiter à ſe diſtinctas, per quas ſuas operationes exercet, cum hæ non poſſint eſſe immediatum principium ſuarum operationum. Vegetatiua namque tres potentias habet, ſcilicet Nutritiuam, Augmentatiuam, & Generatiuam. Senſitiua quinque ſenſus exteriores: ſcilicet Viſum, Auditum, Olfactum, Guſtum, & Tactum; Quatuor itidem interiores; ſcilicet Senſum communem, Phantaſiam, Æſtimatiuam, & Memoriam. Intellectiuæ verò duæ tantum ſunt Potentiæ, Intellectus, ſcilicet, & Voluntas.

SEN-

LIV.

SENSVS omnes ſunt potentiæ paſſiuæ, quæ diſtinguntur per proprios actus; & actus per obiecta. Nec opus eſt ponere ſenſum agentem, quia ab obiecto de potentia ad actum reducuntur; Nec errabunt circa proprium ſenſibile.

L V.

INTELLECTVS eſt potentia animæ rationalis, nulli affixa organo corporali, nec immixta materiæ: illius ꝓprius actus eſt intelligere per conuerſionem ad Phantaſmata, quæ deſumuntur à ſingularibus ſenſatis.

L V I.

DISTINGVITVR intellectus in agentem, & poſſibilem. Munus agentis eſt deſumere ſpecies intelligibiles vniuerſales ex Phātaſmatis, & illas præſentare intellectui poſſibili, vt per eas intelligibilia in potentia, fiant intelligibilia in actu: & ſecundum hanc regulam competit ei omnia facere; officium autem poſſibilis eſt, recipere tales ſpecies, & de potentia exire ad actum intelligendi.

LVII.

DVAS habet intellectus poſſibilis operationes, vnam qua incomplexa apprehendit, & in hac non eſt veritas, vel falſitas. Alteram, qua componit, & diuidit, ſecundumq; hanc verus erit, ſi affirmet de re, ſicuti eſt; falſus ſi ſecus faciat; poteſtque ſeipſum per ſuam operationem cognoſcere reflectendo ſe ſupra ſe.

LVIII.

VOLVNTAS eſt etiam potentia animæ rationalis, qua homo appetit, & vult bonum per intellectum appræhenſum: cæca ſecundum ſe, quia non eſt cognoſcitiua:

ua: Imperatiua tamen eſt omnium aliarum, etiamque intellectus, quem poteſt in obſequium fidei captiuare, itaut in demoſtrabilibus lumine naturali aſſentiat.

ARCVS SEXTVS.

EX DIALECTICA.

LIX.

INTELLECTVS noſter per ſcientiarum ſemitas progrediens valde nutaret, & per incerta procederet, niſi ſciendi aliquo inſtrumento dirigeretur, quod modum in vnaquaque ſcientia conſtituit: hoc quidem Dialecticam, ſeu Logicam Philoſophi appellāt, cuius adminiculo intellectus per notiora ad ignota, quæ de nouo addiſcit, deducitur.

LX.

COGNITIO huiuſcemodi ſciendi verè, & propria ſcientia eſt, ſpeculatiua, non realis; cum nullum ens reale pro obiecto habeat; ſed rationalis, quia circa ens rationis verſatur; ordinata ad diſcernendum verum à falſo, ex quo ab alijs rationabilibus ſcientijs diſtinguitur, & fit vna ſpecie per ſe.

LXI.

TRIA ergo cum ſint noſtri intellectus munera, videlicet ſimplicia appræhendere, illa adinuicem componere, & tandem ex compoſitis diſcurrere. Dialectica in primo eius munere ipſum per cognitionem prædicabiliū, & prædicamentorum dirigit: in ſecundo per intelligētiam propoſitionum: in tertio per ſyllogiſmos.

LXII.

PRÆDICABILIA ſunt tantum quinque; quibus ad prędicamentorum cognitionem vtimur; nimirum Genus,

Species

Species, Differentia, Proprium, & Accidens; hi ſunt termini incomplexi, apti de pluribus prædicari: nam Genus prædicatur de pluribus ſpecie differentibus; Species de plubrius differentibus numero, in quid. Differentia, quæ eſſentialiter facit differre in quale quid de ſpecie. Proprium, quod cum ſpecie conuertitur in quale purum, ſed intrinſecum, & neceſſarium. Accidens verò in quale extrinſecum, eò quòd poſſit adeſſe, & abeſſe ſine illius corruptione.

LXIII.

DECEM porrò ſunt Prædicamenta, entia pariter incomplexa, genera generaliſſima, vniuoca in prædicando, ac inter ſe primo diuerſa. Subſtantia, quæ cæteris nouem accidentibus ſubſtat, diuiditur in primam, & ſecundam. Prima, quę maximè ſubſtare dicitur, ſignificat hoc aliquid, neque eſt in ſubiecto, neque de eo prædicatur: iſtaque deſtructa cætera ruunt omnia: Secunda eſt genus, vel ſpecies primæ, & ſignificat quale quid.

LXIV.

PROPRIVM eſt ſubſtantijs in ſubiecto non reperiri; quamuis ſecunda prædicetur de prima, vt de ſubiecto: neutra habet contrarium, nec ſuſcipit magis, & minus: eadem tamen manens, & vna numero poteſt ſucceſſiuè ſuſcipere contraria genere, vel ſpecie diuerſa, ex quarum ſuſceptione fiet altera, haudquaquam alia.

LXV.

QVANTITAS immediatè ſequitur ſubſtãtiam, eo quòd immediatius illi inſit, eamq; cõnotet; cætera vero p ipſam; hæc autem vel eſt diſcreta vel continua. Continua habet terminum communem, cuius quantitatis rationem formalem in extẽſione partium, non autem in men-

menſura,nec in diuiſibilitate conſiſtere affirmabimus.

LXVI.

HÆC Q; non ex ſolis indiuiſibilibus conſtat; eſtque in infinitum diuiſibilis. Quantitas verò diſcreta eſt, quæ non communi termino copulatur. Eius proprietates ſunt non habere contrarium: neque magis vel minus ſuſcipere: maximèq; ei competit æqualitas, vel inæqualitas.

LXVII.

ÆQVALE ad aliud æquale reſpectum habet, quiquidem reſpectus ſi fuerit realis, ipſius eſſe erit ad aliud ſe habere: ſi verò rationis, illius eſſe dicetur alterius, vel quomodolibet aliter ad alterum: at præter reſpectus inter æqualia dantur eriam relatiua ſuprapoſitionis, vt inter patrem, & filium, & ſuppoſitionis, vt inter ſeruum & dominum.

LXVIII.

SVBSTANTIAM quantitate ſignatam, ſemper aliqua qualitas intrinſecè conſequitur, & ſecundum hanc qualis dicitur. Qualitatis quatuor ſunt ſpecies; prima eſt habitus, & diſpoſitio; ſecunda naturalis potentia, & impotentia; tertia paſſio, & paſſibilis qualitas; quarta forma, & circa eã aliquid conſtans figura: huic competit habere cõtrarium, ſuſcipere magis, & minus, & ſecundum eam ſimile, vel diſſimile dici.

LXIX.

ALIA ſex Prædicamenta dantur extrinſecè ſubſtantiã denominantia. Horum prima actio eſt, ſecundum quã in id, quod ſubijcitur, accidens agere dicitur: eius proprius effectus eſt paſſio, quæ dicit̃ illatio actionis, quare actionẽ tã in agente, quã in patiẽte ſubiectiuè inuenio.

TER-

LXX.

TERTIVM dicitur vbi, quòd eſt circunſcriptio corporis locati à loci circumſcriptione reſultans. Quartum eſt poſitio, ſeu partium quarundam ſitus, & generationis ordinatio. Quintum eſt quando, quod ex adiacentia temporis conſurgit, & relinquitur in re temporali. Et tandem datur habitus, qui corporum adiacentium dicitur, & eorum, quæ circa corpus verſantur.

LXXI.

EX ijs, & ſimilibus terminis incomplexis propoſitiones conficiuntur, quibus ſecunda intellectus operatio in componendo, & diuidendo dirigitur. Eſt autem propoſitio oratio ſignificans verum, vel falſum, hæc ex terminis incomplexis componitur, quorum vnus dicitur ſubiectum, quod nomen eſt apud Grammaticos, alius dicitur copula, quæ verbum apud illos eſt; & alius prædicatum, quod apud eos caſus poſt nuncupatur, coniuncto enim per copulam prædicato cum ſubiecto, tunc verum, vel falſum ſignificabit.

LXXII.

PROPOSITIONVM alia Cathegorica, in qua vt diximus prædicatum per copulam cum ſubiecto iungitur: alia hypotetica, ideſt ſuppoſitiua, in qua duę cathegoricæ, per aliquam coniunctionis notam vniuntur: alia affirmatiua, in qua prædicatum de ſubiecto affirmatur: alia vniuerſalis, in qua ſubiectum ſigno vniuerſali determinatur: alia particularis, quando determinatur ſigno particulari; alia indefinitiua, quæ caret ſigno: & alia ſingularis, quæ de vno ſolo prædicatur.

LXXIII.

QVIBVSDAM paſſionibus propoſitiones ſubduntur, videlicet

delicet oppoſitionis, conuerſionis, & æquipollentiæ. Oppoſitio datur inter affirmatiuam, & negatiuam; & inter vniuerſalem, & particularem. Conuerſio verò fit, quando ſubiectum in prædicatum tranſmutatur. Æquipollentia, quãdo per additamentum negationis alicui propoſitioni, fit alteri oppoſitæ æquiualens in qualitate, & quantitate.

LXXIV.

SYLLOGISMVS, qui tertia intellectus operatio dicitur ex propoſitionibus componitur: eſt enim oratio, in qua quibuſdam poſitis,& conceſſis neceſſariũ eſt aliud euenire, ſcilicet concluſionem, quæ ſi ex cõceſſis eueniat neceſſarijs, neceſſariam generabit ſcientiam; ſi autem tantum ex probabilibus opinionem cauſabit, eiq; aſſentietur cum formidine alterius partis.

LXXV.

SOLVS ſyllogiſmus demonſtratiuus facit ſcire, quod eſt rem cognoſcere per cauſam neceſſariam; ideo debet ꝓcedere ex primis, veris, immediatis, notioribus, prioribusq; cauſis concluſionis. Quare colligitur omnem ſcientiam, ſiue per modum doctrinæ, ſiue per modum diſciplinæ ea habeatur, ex aliqua præcedenti cognitione procedere debere.

LXXVI.

HINC deducitur, quod cognitio cauſæ neceſſariæ, quæ generat ſcientiam, fit ex præcedente cognitione terminorum intellectiua; intellectiua terminorum cognitio ex præcedente eorundem ſenſitiua: quapropter quod eſt in intellectu prius in ſenſu fuiſſe oportet; à quo primum intellectus cognitionis principium labore comparatum trahit.

CAV-

LXXVII.

CAVSA ſcientiæ immediata eſt præmiſſarum cognitio, in quibus virtualiter cognitio ſcibilis continetur, eiuſq; veritas in eis præcognoſcitur; eo quòd ſint neceſſariæ, nec alio medio indigent, vt probentur, ſed ſtatim cognitis terminis innoteſcunt.

LXXVIII.

TERMINI debent eſſe ſubiectum, & prædicatum, euidẽter, & neceſſario connexi; quodquidem prædicatum per ſe debet conuenire ſubiecto, & omni contento ſub eo, non aliquando quidem ſic, & aliquando ſic; ſed omni tempore. Quare debet dicere vniuerſalitatem ſuppoſitorum, & temporum.

LXXIX.

PRÆDICATVM per ſe quadruplex eſt, nam vel erit de definitione ſubiecti, ſicut differẽtia eſſentialis; vel eius propria inſeparabilis paſſio; vel dicit modum per ſe eſſendi; vel modum per ſe cauſandi. In demoſtratione tamen potiſſima, quæ dicitur à priori, ponitur tantum primus modus, quamuis etiam ſecundo, & quarto, qui cum ſecundo coincidit, vti quis poſſit.

LXXX.

DATVR quoque alia demonſtrationis ſpecies, quæ dicitur; Quia in qua per effectus proceditur ad cauſæ cognitionem, qui quidem effectus licet ſint ſecundum ſe poſteriores, ſunt tamen priores quo ad nos, dummodo ſint notiores nobis ſua cauſa. Et hæc vſu recepto demonſtratio à poſteriori vocatur.

ARCVS SEPTIMVS.

EX ÆTHICORVM LIBRIS.

LXXXI.

HACTENVS circa Philoſophiæ ſpeculatiuæ partes, quæ circa ſcibilia ſimpliciter verſantur, immoratum ſatis: nunc ordine ita exigẽte expedit, vt ad actiuam Philoſophiam, quæ Monaſtica, ſiue Ethica nuncupatur, hominum mores, ſiue actiones contemplans, eaſq; ad rectum finem dirigens, deſcendamus.

LXXXII.

ACTIONES huiuſcemodi in tantum morales dicuntur, quatenus à recta ratione procedunt, & ſequuntur pręcepta prudentiæ. Prudentia verò eſt habitus intellectus practici cum ratione actiuus; & hęc eſt duplex vna agibilium vniuerſalium, altera ſingularium; ad primã ſufficit habitus recti iudicij, ad ſecundam requiritur etiam experientia.

LXXXIII.

PRVDENTIA tamen vera, & perfecta in ſolis bonis reperitur; cuius proprietates præcipuæ duæ ſunt; prima eſt conformitas cum appetitu recto, rectitudine morali; ſecunda ſolicitudo. Partes verò integrantes ſunt octo, nimirum memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, prouidentia, circumſpectio, & cautio.

LXXXIV.

MEMORIA eſt cognitio præteritorum. Intelligentia eſt cognitio præſentium. Docilitas eſt cognitio per alterius doctrinam. Solertia eſt cognitio per propriam in-

uentionem bene conſiderando. Ratio eſt cognitio per illationem vnius ex altero. Prouidentia eſt ordinatio aptorum mediorum ad finem. Circumſpectio eſt accurata conſideratio circunſtantiarum. Cautio eſt prouiſio aduerſus mala contraria.

LXXXV.

QVAMVIS autem prudentia virtus ſit particularis, alijs nihilominus virtutibus moralibus immiſcetur illas dirigendo. Imperat enim actiones ſingularium, vel fręnat paſſiones operantis mediantibus illis.

LXXXVI.

VIRTVTES, quæ circa actiones, vel bonum alterius verſantur ſunt Iuſtitia, Religio, Pietas, Obſeruãtia, & Gratitudo; quę verò circa paſſiones, ſeu bonum operantis, ſunt Temperantia, Magnanimitas, Fortitudo, & Manſuetudo; quæ autem vtrunque amplectuntur ſunt Veracitas, Vindicatio, Liberalitas, Magnificentia, & Affabilitas.

LXXXVII.

IVSTITIA eſt habitus, ſecundũ quem aliquis conſtanti, & perpetua voluntate ſuum ius vnicuique tribuit: hæc duplex alia generalis, alia particularis, quę inter ſe ab inuicem differunt. Nam terminus generalis eſt bonum commune; Terminus particularis bonum perſonale; Materia generalis complectitur actiones omnium virtutum; particularis ad ſolam iuſtitiam particularẽ ſpectat. Ratio, vnde oritur debitum iuſtitiæ generalis, lex naturalis, vel poſitiua eſt. Ratio verò particularis, eſt pactum.

LXXXVIII.

RELIGIO eſt virtus inclinans hominem ad cultum debitum,

tum, honoremque DEO exhibendum, tanquam omnium Creatori, & Domino. Et hoc cultu homo ſe ipſum, ſuaque DEO ſubijcit multis actibus, vt primo principio; quod multipliciter fieri contingit, maximè verò oratione, iuramento, voto, adoratione, & oblatione.

LXXXIX.

PIETAS eſt virtus, per quam debitus cultus tribuitur his, quorum beneficio poſt DEVM ſubſiſtimus, & gubernamur: vt potè parentibus, & Patriæ, ijs quoque, qui aliqua ſanguinis neceſſitudine, vel beneuolentiæ vinculo parentibus, vel Patriæ coniunguntur: quales aui, filij, & affines ſunt.

X C.

OBSERVATIO eſt virtus, per quam tribuimus cultum perſonis in dignitate conſtitutis, actu nos gubernantibus, vel ad gubernãdum aptis: hic enim cultus ſpectat ad perſonam virtute illuſtratam, quæ ad dignitatem illi aditum faciat.

XCI.

GRATITVDINE autem compenſamus aliquo conuenienti modo beneficium gratioſum ab aliquo particulari acceptum; debitum nihilominus gratitudinis oritur ex decentia tantummodo: & à perfecta, ac ſtricta debiti ratione deficit.

CXII.

TEMPERANTIA moderatur paſſiones, quæ verſantur circa corporis delectabilia, maximè verò ſecundum ſenſum, guſtus, & tactus, cuius quatuor partes annumerantur; ſcilicet Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas, & Pudicitia, quibus delectabiliũ vſui modus imponitur.

XCIII.

MAGNANIMITAS perficit animũ, vt circa res magnas, præſertim circa honores, prout par eſt, rectè ſe gerat, vel eos moderatè curando, vel etiam contemnendo. Porrò, quia magnus honor magnæ virtutis pręmium eſt, ideo inter huius virtutis obiecta primum ſibi vindicat locum.

CXIV.

FORTITVDO ea eſt, per quam animus in acerbis, ac terribilibus ita ſecundum rectæ rationis regulam ſe gerit, vt neq; praua timendo, neque temerè audendo à recto, & conſentaneo rationis tramite deuiet: in eo namque ita ſe continet ſiue timendo, ſiue cauendo, ſiue audendo, vt nunquam rectam rationis præſcriptam viam deſerat.

CXV.

VERACITAS eſt virtus, per quam quis talem ſe exhibet alteri tum verbis, tũ factis, qualis reuera in corde eſt: hæcque cum fidelitate coincidit, quæ ad quodcunque opus promiſſum exequendum nos perducit.

CXVI.

MANSVETVDO eſt virtus, quæ aliquem in vindictæ appetitu moderantem retinet: proxima huius virtutis materia eſt Ira, quæ modum à ratione præſcriptum, veluti formam aliquã imponit, vt quando, & cui oportet, quantumq; opus eſt, iraſcamur.

XCVII.

VINDICATIO eſt illa, per quam iniuriam honeſtè vlciſcimur; Quæ à iuſtitia vindicatiua differt: illa namque ad mali retributionem, vt æqualitatem ſeruet, dirigitur: hęc verò tantũmodo, vt à ſe nocumenta remoueat.

XCVIII.

LIBERALITAS mixta quædam virtus eſt, duplicem habens inclinationẽ; vnam ad moderandas circa diuitias paſſiones; alteram ad diuitias, tum ad propriam, tum aliorum vtilitatem honeſtè elargiendas: ad hanc etiã honeſta acceptio ſpectat, vt cum quis citra immoderatam cupiditatem accipit, aut etiam poſſidet, vndè honeſtè alijs diſtribuat.

XCIX.

MAGNIFICENTIA circa magnas, decoras, diuturnaſq; actiones verſatur, ſecundum tamen veram rectæ rationis normam, quæ dictat quandonam magni ſumptus ſint faciendi, circunſtantijs præſertim propriæ perſonæ, ac communis boni ſpectatis.

C.

AFFABILITAS tandem eſt per quam aliquis ſe illis, cũ quibus vitam ducit varijs officiorum generibus charum, amabilemq; reddit, non ex alio, quàm decentiæ debito. Etenim decet animal ſociabile quale eſt homo aliorum benignitate potius animos, quam auſteritate captiuare. Huiuſcemodi tamen virtutes per ſe ſtatum perfectum habere nequeunt: niſi cum alijs coniungantur.

PORTICVS SECVNDA.

ARCVS PRIMVS.

IVRIS CIVILIS PROPOSITIONES De Iure, & Iuriſdictione.

ASSERTIO PRIMA.

IVS Ciuile, vti actiuæ Phyloſophiæ pars, ſecũdam extollit Porticum. Cum autem in omni diſciplina, potior quidem rerum, prior autem verborum ratio ſit habenda; ideo iuris deriuationem à iuſtitia promanatam aſſero. Iuris definitionem cum Celſo ſic deduco, quòd ſit ars boni, & æqui; quod à Iuriſprudentia non differre arbitror.

II.

IVRIS Ciuilis tria ſunt præcepta, realiter à ſe inuicem diſtincta. Primum honeſtè viuere. Secundum alterum non lædere, niſi ad vitæ defenſionem: quę ad hoc, vt legitima ſit, neceſſe eſt, vt incontinenti fiat; tum vt fugam quis prius capeſſat quàm aggreſſorem inſultatus occidat; qua in defenſione, etiamſi aggreſſorē interficiat, eum tamen tàm in foro exteriori, quàm conſcientiæ immunem pœna vindicabimus. Tertium eſt vnicuique ſuum tribuere.

III.

HOCQ; ius Romanum in ſcriptum, & non ſcriptum diuiditur. Scriptũ ius eſt, quod publica auctoritate, certaq; deliberatione facta introductũ eſt: ad cuius conſtitutionem, ſcripturam neceſſariam fuiſſe dicimus:

cuius ſpecies ſex enumerantur. Lex, Senatuſconſultũ, Plebiſcitum, Magiſtratuum edicta, Reſponſa prudentum, & Placita Principum; in quos lege Regia omne ſuum populus tranſtulit imperium.

IV.

QVAPROPTER meritò Principes legibus, earumq; obſeruatione ſoluuntur; & quod ipſis placet legis habere vigorem conſtat: modo de plano interloquutio nõ ſit. Ex quo nunc colligere licet, populum non liberum, & Ciuitatem municipalem legem ſibi condere non poſſe, quæ iuri communi publico aduerſetur.

V.

IVS non ſcriptum, ſeu conſuetudo, eſt ius Ciuile non repugnans cum lege naturæ, diuturnis vtentium morib. ſine ſcriptis introductum: Ad cuius introductionem non decem, vel triginta annos, neque duos, vel tres actus ſufficere dicimus; ſed tempora, & actus Iudicis arbitrio definienda relinquimus; quę conſuetudo ſi legitima fuerit, vim tollendi, & abrogandi legem ſcriptã habebit.

VI.

POST delineata ſummatim iuris elementa, ad iudicia, in quibus omne ius noſtrum vertitur, deueniendum; ſed quia illa eluſoria redderentur, niſi de iuriſdictione anteà conſtaret, ideò priùs de iuriſdictione ipſa erit videndum.

VII.

IVRISDICTIO, alia Principis eſt, alia Magiſtratuum; iſta propriè iuriſdictio, illa ſumma poteſtas, veriùs quàm iuriſdictio nuncupatur: iuriſdictio verò altera ſpiritualis, altera tẽporalis; quæ temporalis penes quem ſit, ambi-

ambiguum admodum eſt; Canoniſtæ enim penes Summum Pontificem eſſe: Legiſtæ verò penes Imperatorem contendunt. Nos cum Caſiſtis vtramque opinionem conciliabimus.

VIII.

IVRISDICTIO Magiſtratuum eſt publica poteſtas ſtatuendi de ciuili, & criminali negotio. A Principe cōceditur; quam conceſſam quoque intelligemus, ſi Princeps alicui territorium concedat. Cumq́ue hæc iuriſdictio publica poteſtas dicatur, conſequens erit priuatos Iudicem facere haudquaquam poſſe.

IX.

IN genere ſumpta iuriſdictio in imperium, & iuriſdictionem ſpecificam diuidimus, quæ rectè à mixto imperio ſeparata aſſignatur. Imperium ſubdiuidimus in merū, & mixtum. Hinc apparet reijciendam illorum opinionem, qui dicunt appellatione iuriſdictionis cauſas criminales non contineri. Imperium merum eſt, quod exercetur officio iudicis nobili ad publicam vtilitatem.

X.

HOCQ; ſpecialiter lege Senatuſcnnſulto, vel Principum conſtitutionibus conceditur, idq́ue expreſsè, vel tacitè. Tacitè vtpote quando Princeps alicui caſtrum cum iuriſdictione concedit: tunc enim & merum imperium conceſſum ſuſtinebimus, quamuis adiecta illa clauſula non fuerit, *cum omnimoda iuriſdictione*. Acquiritur (quidquid nonnulli contra ſentiant) præſcriptione.

XI.

Quòd cum iure Magiſtratus non competat, ideo mandata iuriſdictione non transfertur, niſi iuſta ſubſit mandā di cauſa, puta abſentiæ, vel infirmitatis: tunc enim

non cognitio ſolum, verum & executio ipſa rectè mādabitur. De iure verò Canonico merum imperium indiſtinctè mandari poſſe cenſeo.

XII.

MIXTVM imperium, eſt iuriſdictio, quę exercetur officio iudicis nobili ad vtilitatem priuatam: quod malè ab antiquis lege, Senatuſconſulto, vel cōſtitutionibus Principum concedi dicebatur. Semper enim iure Magiſtratus competit, ideoq́; rectè mandari poteſt.

XIII.

HVIVS imperij ſpecies ſunt iubere caueri, iudicis dandi licentia, datio bonorum poſſeſſionis, in integrum reſtitutio, iubere poſſidere, & in poſſeſſionem mittere, ac mulctæ dictio, quæ propter contumaciam irrogatur, & id genus alia, quæ omnia rectè mandantur. Tutoris verò datio, neque imperij eſt, neque iuriſdictionis, ſed ſpecialiter lege, vel Senatuſconſulto tribuitur.

ARCVS SECVNDVS.

DE PACTIS, ET TRANSACTIONIBVS.

XIV.

IVRISDICTIONE cognita, quia in limine iudicij pactiones, & tranſactiones interponuntur, cum litigantium animi ab ancipiti iudicij euentu deterreantur, de pactis ideo, & tranſactionibus erit videndum. Pactum in genere ſumptum idem eſt, quod conuētio, quod definimus eſſe duorum, vel plurium in idem placitum cōſenſum, rei paciſcendæ, vel contrahendæ cauſa; eſtq́ue vel expreſſum, vel tacitum: hocq́ue illis commune eſt, vt conſenſum habeant, adeo vt nullum pactum, ſiue

contra-

contractus detur, in quo non adſit conſenſus, quem in fauorabilibus adeſſe credimus, ſi præſens ſit, & taceat: ſecus verò in odioſis dicemus.

XV.

PACISCI omnes poſſunt, qui conſentire valent, niſi prohibeantur: prohibentur enim quidam à natura, vt ſunt amentes, furioſi, infantes, muti, & ſurdi copulatiuè; nõnulli à lege, vt impuberes, qui ſine tutoris auctoritate, ne quidem naturaliter obligantur, niſi inde locupletiores facti fuerint; item prodigi, quibus per Magiſtratus ſententiam, non tamen ipſo iure, bonis interdicitur; quos nec naturaliter poſt interdictionem obligari poſſe cenſemus.

XVI.

CVM omnibus paciſci conceſſum eſt, cum quibus ius gẽtium commune eſt; quorum in numero ſunt peregrini, & hoſtes, quibus ſi fides, ſiue à Duce belli, ſiue à priuato data fuerit, ſeruabitur. Item latrones, pyratæ, ac prædones, quibus non temerè fides danda, at data, ſeruãda eſt: niſi in eo caſu ſimus, in quo quis pro ſui liberatione pretium promiſerit, tunc enim non ſeruabitur, modò iuramento non fuerit corroborata.

XVII.

OMNES res ſiue præſentes, ſiue futuræ ſint in pactũ rectè deducentur, modo id ius cõmune non mutet, aut contra bonos mores ſit: quale eſt id, quod de alicuius adhuc viuentis ſucceſſione fit: nam quamuis illud de ſuccedendo, vel non ſuccedendo interpoſitum fuerit, tamen neq; affirmatiuè, neq; negatiuè valere ꝓferemus: etiamſi illius, de cuius hæreditate agitur, conſenſus interuenerit.

XVIII.

QVID verò ſi talia pacta fuerint iuramento firmata? diſtinctione vtemur: aut enim erit de ſuccedendo, & id quamuis iuramento fuerit vallatum, non conualeſcet: aut de non ſuccedendo, & in hoc caſu ſub illorum caſtris, qui affirmatiuam opinionem ſunt ſequuti, militabimus.

XIX.

SED quid ſi filia paternæ hæreditati cum iuramẽto renunciauerit, poterit, nę ad paternam aliquo iure aſpirare hæreditatem? vtique, ſed ex teſtamento tantùm, non ab inteſtato. Quæ ſi generaliter, adhibito, vt fieri ſolet, iureiurãdo paternę ſucceſſioni renuntiauerit, ſuæ quoque legitimæ renuntiaſſe cenſebitur.

XX.

PACTA abſolutè conſiderata naturalem producunt obligationem, eamque ipſo iure tollunt, & exceptionem de iure prætorio pariunt. Actionem verò attento iure ciuili, niſi legitima ſint, non inducunt: ſed de iure canonico exceptionem, & actionem gignunt: à nouiſſimis pactis priora tolluntur non ipſo iure, ſed ope exceptionis, vel replicationis.

XXI.

PACTVM incontinenti adiectum in bonæfidei contractibus, tam ex parte actoris, quàm rei ineſt, & pars eſt contractus; ideoque non ex pacto, ſed ex ipſo contractu agitur, vt fiat quod pacto conuenit; quando verò magis ad reſoluendum contractum adijcitur tunc actio præſcriptis verbis cum principali concurrit. Stricti verò iuris contractibus adiectum, ex parte rei tantùm, non etiam ex parte actoris ineſſe creditur.

XXII.

TRANSACTIO, eſt pactio, qua inter litigatores dubia, & litigioſa res nondum finita, aliquo dato, retento, vel promiſſo terminatur: quam inter contractus innominatos enumeramus. Cauſa tranſactionis, mutuus liber conſenſus eſt: vndè tranſactio metus cauſa, vel dolo malo inita, rata non habetur. Præſentia tamen, & interuentus propinquorum omnem doli, metusq́ue ſuſpitionem facilè excludit.

XXIII.

TRANSIGERE autem omnes poſſunt, qui paciſci, & conſentire; etiam ægri corpore, dummodo infirmi mente non ſint. Sed & alieno nomine multi tranſigũt: tutores enim, & curatores in rebus pupillorum, aut minorum: Sindici, & Adminiſtratores Ciuitatũ de rebus vniuerſitatum, & Ciuitatum: donare verò, & ius aliquod ambitiosè remittere nequeunt.

XXIIII.

DE Procuratore, an is nomine domini tranſigere poſſit perplexa, & in Lycæis noſtris frequenti ſermone agitata quæſtio eſt; qua in perplexitate diſtinguendũ reor: aut enim eſt Procurator cum libera, & huic etiam ſine ſpeciali mandato tranſactionem concedimus; aut omnium bonorum, cui tranſactionem, niſi ſpeciale mandatum interueniat, denegamus.

XXV.

TRANSACTIONIS materiam faciunt omnes res dubię, litigioſæ, & incertæ: de rebus igitur certis, puta de re iudicata; vel iureiurando deciſa tranſigi non poteſt. Sed de quibuſdam rebus ex peculiari cauſa, quandoq; ſine certis ſolemnitatibus, & requiſitis, omnino tranſigere

gere

gere prohibemur. Sic de futuris alimentis teſtamento, vel quauis vltima voluntate relictis, ſi alimentorũ cauſa inde deterior reddatur, non niſi prætoria, eaq́ue accurata cauſæ cognitione interueniente: item ex cõtrouerſijs, quæ ex teſtamento proficiſcuntur, non niſi cognitis, inſpectisq́ue teſtamenti verbis tranſigere licet.

XXVI.

DE crimine publico capitali, tam actor, quàm reus; tam ante, quàm poſt conſtitutum iudicium impunè tranſigere, & paciſci poteſt, excepto adulterio, & raptu. De crimine autem publico non capitali actori, & reo ante acceptum iudicium tranſigere, & paciſci eſt conceſſum.

XXVII.

LITE autẽ conſtituta, imò reo tantùm poſtulato, & denunciato, ideſt libello accuſatorio oblato, omnis pactio, vel trãſactio non petita abolitionis venia inhibetur, excepto falſi crimine. De criminibus priuatis, ſi quidem ciuiliter agatur, ante, vel poſt litem conteſtatam; ſin criminaliter omnino tranſigere non licet.

XXVIII.

FORMA tranſactionis in eo potiſſimùm conſiſtit, vt pro remiſſione rei litigioſæ aliquid contra præſtetur, aut fiat. Initur etiam tranſactio, vel pacto, vel per Aquilianam ſtipulationem; vtraque iterum, vel generaliter, vel ſpecialiter; ſed & pœna plerunque tranſactioni adijcitur; quandoq́ue iuramentum; interdum ſcriptura accedit: vndè variæ ſpecies tranſactionis naſcuntur.

XXIX.

CÆTERVM tranſactiones non minorem, quàm rei iudicatæ

catæ auctoritatem, & effectum inter litigantes habent. Hinc cauſas, vel lites tranſactionibus deciſas, nc Imperiali quidem reſcripto ſuſcitari, nec ſub inſtrumentorum poſtea repertorum, aut læſionis cuiuſcunque prætextu inſtaurari permiſſum eſt; qua propter beneficium.l.2.C. de reſcind. venditio. in tranſactione locum non habere decernimus.

ARCVS TERTIVS.

DE PERSONIS IVDICIVM conſtituentibus.

XXX.

PRÆPOSITIS iſtis, quæ ante iudicium inueſtigari, & peragi conſueta ſunt; ad ipſa iudicia deuenio. Iudicium autem definio, legitimam controuerſię apud iudicem tractationem, & dijudicationem; ad quod tres perſonæ requiruntur Iudex, Actor, Reus: quibus additur Patronus, & Procurator. Iudices dari omnes poſſunt, niſi prohibeãtur, modò iuris periti, ac maiores decem & octo annis exiſtant.

XXXI.

PATER in cauſa filij, & filius in patris cauſa rectè iudex datur. Planè ſuſpectus iudex, quin olim dari potuerit, & hodie poſſit nõ dubitamus; cùm remotione opus ſit, vt deſinat eſſe iudex: Sed quæritur an de iure ciuili, aut canonico, iudex tam ordinarius, quàm delegatus recuſari poſſit? quod aſſirmo: modò recuſationis cauſæ in libello ſpecificè exprimantur.

E IVDI-

XXXII.

IVDICIS officiũ eſt, vt legum conſtitutionibus, & moribus prouiſum, ſecundùm allegata, & probata iudicare; exceptis ijs cauſis, in quibus certiſſimè ſcit aliter rem ſe habere: tunc enim non ſecundum allegata, & probata, ſed ſecundum propriam ſcientiam iudicabit. Item ad illum ſpectat ſentẽtiam certam, & libello conformem proferre; alioquin litem ſuam faciet: & quidem imperitia lapſus arbitrariam pęnam ſuſtinebit: dolo autem malo adductus, criminaliter cum famæ diſpendio punietur.

XXXIII.

ACTOR eſt, qui actionem proponit, & prior ad iudicium prouocat, forum rei ſequens: cuius partes erunt, vt in citationis termino libellum, tam de iure Ciuili, quàm Canonico in ſcriptis neceſſariò redactum, & in modum pleni ſylogiſmi, vel enthymematis conceptum, primò iudici, tùm verò parti aduerſæ offerat, & quidem in omnibus cauſis, in quibus iudicium formaliter inſtitui ſolet.

XXXIV.

LIBELLVMQ; talem offerre debebit; vt is non obſcurus, vel æquiuocus, non generaliter, aut alternatiuè conceptus ſit; ſed perſpicuus, & de re certa, ſecundum fori ſtylum, naturamq; actionis. Cuius nomen in libello de iure Ciuili, non autem Canonico exprimere tenebitur. Si enim libellus euidenter ineptus fuerit, quod ex concluſione potiſſimùm animaduertitur, iudicium, & ſententiam ipſo iure nullam reddet.

XXXV.

QVEM ante litis conteſtationem, tàm circa ſubſtantialia,

quàm

quàm circa rem petitam mutare, & emendare poterit. Poſt autem litem cõteſtatam; ſi ſermo de iudicijs vniuerſalibus ſit, emendare addendo permiſſum erit: quãuis in petitione, puta hæreditatis, rem vnam tantùm petierit. Poterit & in generalibus: non minùs ac in ſingularibus; quicquid nonnullos contra proclamantes audire videar.

XXXVI.

NEQ; ſolùm libellum offeret: verùm etiam ea omnia edet, quæ apud Iudicem editurus eſt; vt proinde reus ſciat, vtrum cedere, an contendere vltra debeat. Sed in ſcholis frequenter agitur; an actor reo ad fundandam exceptionem edere debeat? affirmãtibus ſubſcribo. Ad compenſationem verò fundandam eũ ad editionem non teneri placebit.

XXXVII.

REVS is eſt, qui actionem, & accuſationem propulſat: iſque ſua inſtrumenta actori edere non tenetur: cuius partes adeò fauorabiles ſunt; vt etiamſi ſciens ſuum inſtrumentum occultet, ab omni tamen dolo abeſſe cẽſeatur, & ob id rectè abſoluatur: quod quãuis de ſcripti iuris rigore ſubſiſtat; tamen is in conſcientiæ foro tutus eſſe nequit.

XXXVIII.

SED quid ſi reo abſoluto, ob inſtrumenta non exhibita, actor de nouo illa reperiat, & producat? an non tum demum litem reſumet? verius eſt nõ reſumere. Poterit tamẽ ſi ab obſeruatione tantùm iudicij immunis fuerit declaratus; quem actori, nec ad fundandam actionem, nec ad ſemiplenam probationem iuuandam, edendi onere grauabimus.

XXXIX.

PATRONVS, ſiue Aduocatus is eſt, qui deſiderium ſuũ, vel amici, in iure apud eum, qui iuriſdictioni præeſt exponit, & alterius deſiderio contradicit. Qui peritia iuris inſtructus, & maior 18. annis ſit neceſſe eſt: maximèque cauebit, ne pactum cum cliente de quota litis, aut de certa aliqua eius parte, ſiue re, etiam extra litem poſita, ineat.

XL.

CVI, finito negotio, quamuis nihil penè laboris in cauſa inſumpſerit, honorarium integrũ debebitur. Quòd ſi contigerit, vt poſtulare ceperit, & ante cauſæ deciſionem, vel ante annum deceſſerit, ac in viuis nihil egerit, modo per ipſum non ſteterit, totum tamen palmarium æquè, ac profeſſoribus erit præſtandum; qui ſi pro ſe poſtulauerit, & in expenſas aduerſarius condemnatus fuerit, quin & honorariũ ſuum petere rectè poſſit, nemini dubium eſſe puto.

XLI.

PROCVRATOR eſt, qui rem alienam Domini mandato in iudicio agit; quem ad lites quoque, modò maior 17. annis ſit, admittimus; quivè ſi datus ad agendum fuerit, appellatione interpoſita cauſam adhuc proſequi non tenetur; & ex cauſis procuratorio nomine geſtis, etiam finito negotio conuenietur, in quibus ſi quid ob leuem, non autem leuiſſimam culpam commiſſum ſit, tenetur.

DE REI VINDICATIONE.

XLII.

HIS itaque ſummatim de perſonis iudicium dirigẽtibus præmiſſis, ad ciuilia iudicia, in quibus, aut ex obligatione in perſonam agitur, vndè perſonalia: aut in rem, vndè realia, appellantur; deuenio. Inter realia, quæ vindicationes vocantur, rei vindicatio recenſetur: quæ eſt actio realis, ſingularis, qua quis petit ſe dominum rei controuerſæ declarari, & eam officio iudicis à poſſeſſore ſibi reſtitui.

XLIII.

HANC in directam, & vtilem diuido; illa directum dominium habentibus, vt dominis conceditur. Iſta vtile, vt emphyteutis, competit. In hac actione duo probanda veniunt; dominium ex parte actoris, & poſſeſſio ex parte rei; quam ſi reus neget, & mendacij conuincatur, res ab eo aufertur quod nõ idem eſt, ſi falſum poſſeſſionis ſuæ titulum dixerit.

XLIV.

ADVERSVS eum hæc actio proponitur, qui nullo quidem iure nobis eſt obligatus; ſed rem, quam noſtram intendimus, poſſidet: aut dolo malo deſijt poſſidere: in qua res omnes corporales commercio hominũ non exemptæ, mobiles, ſiue immobiles, animatæ, ſiue inanimatæ compræhenduntur.

XLV.

VENIT res cum ſuis acceſſionibus, ſcilicet cum partu, & fru-

& fructibus, ſub quorum appellatione, an ancillæ partus compræhendatur: multa paſſim à grauiſſimis tum antiquis, tum Neothericis iuſtitiæ alumnis de hac materia in vtranq; partem eleganter diſceptata reperiuntur, quæ hanc quæſtionem ancipitem reddunt. Nos negantium ſententiam, quæ ancillæ partum à fructu relegat, amplectemur.

XLVI.

ET quod de fructuum reſtitutione aſſeritur, non ita promiſcuè eſt accipiendum: nam cum Interpretum ſchola diſtinguendum reor: aſſerendo bonæ fidei poſſeſſorem extantes, tam naturales, quàm induſtriales reſtituere teneri; perceptos verò, & conſumptos ſuos facere, niſi inde locupletior factus fuerit. Malæ autem fidei poſſeſſorem omnes indiſtinctè, non modò, qui percepti, conſumptiq; ſunt, ſed etiam qui percipi potuerunt, reſtituere debere.

ARCVS QVINTVS.

DE CONTRACTIBVS, QVI re perficiuntur.

XLVII.

IN iudicio ex obligatione in perſonam agitur ex contractu inter viuos, vel ex vltimis morientium voluntatibus. Quatuor modis ex contractu inter viuos naſcitur obligatio, re, conſenſu, verbis, & literis. De duobus prioribus tantùm hic agere in votis eſt. Et à contractibus, qui re contrahuntur inchoando, ad mutuum primò me accingam.

XLVIII.

MVTVVM eſt contractus Iuriſgentium nominatus ſtricti iuris, quo quantitas ea lege datur, vt eadem nobis in genere, & bonitate reddatur nō in ſpecie. Mutuū dare omnes poſſunt, qui cōſentire, & rei quæ mutuo datur, dominium transferendi facultatem habent, modò illis iure non interdicatur, vt Magiſtratibus, & Prouinciarum Præſidibus intra Prouinciam, interdicitur.

XLIX.

ACCIPERE verò poſſunt Patresfamilias; non tamen filij familias, & hoc ex Senatuſconſulti Macedoniani diſpoſitione; cuius principalem rationem in fœneratorum odium, non autem in patris fauorem, introductam eſſe, dicimus; vndè ſequitur filium familias huius Senatuſconſulti beneficio renunciare minimè poſſe.

L.

HIS rebus in creditum imus, quæ in quantitate conſiſtūt, & in genere ſuo functionem recipiunt. Vndè non dubitauit Affricanus in l. qui negotia. 34. ff. mandati. aſſerere, argentum, quod à me vendendum accepiſti, vt nummis inde redactis vtereris, nequaquam in mutuum conuerti poſſe: quemadmodū, nec mihi ex mutuo obligeris, ſi tibi debitorem meum iuſſero pecuniam dare, cui ſententiæ directè Vlpian. in l. ſingularia. 15. ff. de reb. cred aduerſatur; cuius opinio, cùm ęquitati, potiùs quàm rigori adhæreat, meritò à iuris authoribus recepta eſt.

LI.

EX mutui contractu datur certi condictio. Sed an duplex ſit certi condictio generalis, & ſpecialis, quæ ex ſolo mu-

mutui contractu naſcatur quæſtio eſt, quæ maximum inter Italos, & Vltramontanos diſſidium peperit. Iſti enim in affirmatiuam, illi, in negatiuam ſententiam deſcendunt: vtraque pars in acie ſtat, ſuis validiſſimis inſtructa argumentis: nos verò ab Italorum partibus ſtare, qui duplicem ſtatuunt certi condictionem, non dubitabimus.

LII.

QVA ſi debitor conueniatur, creditum in eodem genere, eademvè bonitate, ac qualitate, quamuis hoc nominatim cautum non ſit, reddere debebit. Hinc dubia naſcuntur duo, non minùs elegantia, quàm perplexa; an ſcilicet debitori eandem ſpeciem mutuò acceptã reddere liceat? Item an is nummos in diuerſa forma, & materia creditori reſtituere valeat? & quò ad vtranque quæſtionem affirmantibus aſſentior.

LIII.

POTERIT, & debitor creditum inuito creditore per partes rectè ſoluere. Sed quid ſi valor pecuniæ creditæ mutatus fuerit, cuius nam temporis ęſtimatio ſiue quãtitas ſpectanda erit? Anceps hæc diſceptatio eſt, & multis difficultatibus intricata: cum communi tamen vulgi in commercijs etiam introducta bonitatis intrinſecæ, & extrinſecæ diſtinctione reſpondebimus, in illa contractus, in hac ſolutionis tempus ſpectandum eſſe.

LIV.

INDEBITVM & re contrahitur, quod definimus eſſe quaſi contractum, quo res nullo quidem iure debita, vel debita, ſed cui opponi poſſit perpetua fauorabilis exceptio, ab ignorãte ſoluta repetitur; vndè

infer-

infertur actualem ſolutionem interuenire debere: item temporarias exceptiones indebitum non inducere. Hinc fit, vt in diem debitor, ante diem ſolutum repetere non poſſit.

L V.

INDEBITVM, ſiue indebiti condictio competit per ſe, ſiue per alium errore facti ſoluenti: nam iuris error indebiti repetitionem non parit; contraque illum datur, qui vel per ſe, vel per alium accepit: ad hoc vt rem ipſam, cum acceſſionibus, fructibusque naturalibus, non autem ciuilibus, deductis expenſis conſequatur.

L VI.

CÆTERVM cùm hæc condictio ex bono, & æquo deſcendat, non poterunt condici ea, quę iure naturali debita ſunt: quapropter dicendum erit, donatarium ad antidora obligatum, quid per facti errorem ſoluētem, illud vt indebitum repetere non poſſe. Interdum verò vſu venit, vt licèt debitum naturali ratione ſolutum ſit; perſona tamen locum repetitioni faciat: veluti ſi pupillus ſine tutoris auctoritate, vel furioſus, vel is cui bonis interdictum eſt, ſoluerit.

L VII.

RE quoque obligatur is, cui res aliqua vtenda datur, hoc eſt commodatur. Commodatum itaque eſt contractus, quo vſus rei gratuitus, & certus eo animo conceditur, vt poſt vſum, eadem res in ſpecie reſtituatur. Res autem omnes commodari poſſunt, tàm mobiles, quàm immobiles: tàm corporales, quàm incorporales; propriæ, vel alienæ, modò vſu non conſumantur, niſi hoc oſtentationis cauſa fiat.

LVIII.

EX hoc contractu duæ oriuntur actiones, directa vna, quæ commodanti datur aduerſus commodatarium, eiusque hæredes; qua finito vſu, in quem res data eſt, elapſoque tempore præſcripto agitur, vt ſibi ea ſalua, integraque reſtituatur, aut re deteriorata id, quod intereſt: eavè poſt commodatarij moram perempta, eius æſtimatio præſtetur; niſi res eodē modo apud dominum peritura fuiſſet.

LIX.

IN hanc directam actionem venit dolus, & culpa etiam leuiſſima, non item fortuitus caſus, præterquam ſi ſua culpa cauſam commodatarius dederit: vel ex conuentione caſus fortuiti periculum in ſe receperit; tunc enim etiam ad caſum inſolitum eum teneri placebit. Altera commodati actio contraria vocatur, quæ commodatario competit ad petendum, quod ſua intereſt, ſi res commodata ante expletum vſum auferatur, aut ad id, quod ei ratione cōmodati abeſt, conſequendum.

LX.

PRÆTEREA, & is, apud quem res aliqua deponitur, re obligatur, teneturque actione depoſiti. Depoſitum ergo definimus eſſe contractum, quo res tàm mobilis, quàm immobilis gratis cuſtodienda alicui datur, eo fine, vt eadem in ſpecie, quandocunq; deponenti libuerit, reſtituatur.

LXI.

NONNVNQVAM tamen euenit, in rebus pręſertim fungibilibus, vt non eadem ſpecies, ſed genus reddatur, & nihilominus depoſitum remaneat; vt cum non obſignata quantitas deponitur; tali enim caſu, ſiue expreſſim,

ſim, ſiue tacitè conuentum ſit, vt tantundem reddatur depoſitum remanebit: ſecus fiet, ſi expreſſim conuentum ſit, vt ea vtatur: nam tunc mutuum, & quidẽ proprium contractum eſſe dicemus.

LXII.

REI depoſitæ periculum ad deponentem, non autem ad depoſitarium ſpectat; niſi res aut poſt moram, aut dolo, vel culpa, perierit; in quo dolo cenſebitur eſſe, ſi vel depoſitum reddere recuſet, cum cognoſcat, & intelligat ſe benè reddere poſſe: vel rem depoſitam vendiderit, & alienauerit: quo caſu etiam furti actione tenebitur, & quanti interſit, in litem iurabitur.

LXIII.

QVOD ſi mercedem depoſiti nomine depoſitarius acceperit: eo ipſo ad exactam diligentiam, atque ita ad leuis culpæ præſtationem ſe obligaſſe dicemus. Patientia tamen ſola, ſiue ſcientia rei in domum illatæ, non facit, vt quis teneatur, ſi res furto, vel alio caſu pereat. Depoſitarius porrò quouis tempore officio ſuo liberari poteſt, ſicut & deponens rem ſuam quouis tẽpore repetere.

LXIV.

EX hoc contractu directa, & contraria actio deſcendit ambæ ad hæredes tranſitoriæ: illa ad rem ſolam conſequendam datur; quandoque in duplum, veluti ſi in lite depoſitarius depoſitum neget: quæque reo cõuento, & damnato ob dolum ſuum infamiam irrogat. Cõtraria actiò depoſiti competit depoſitario ad id, quod depoſiti ratione ei abeſt, conſequendum.

L X V.

VLTIMO, & pignore quis obligatur re. Pignoris definitio talis ſit. Pignus eſt ius reale, quo creditor nomine eius, quod ſibi debetur, rem obligatam tenet. Quod ab hypotheca aliter non differt, quàm quod hęc ſine rei traditione fiat, id verò traditione. Vndè dicemus ſtatutũ de pignore diſponens, in hypotheca quoque locum habere. Hocq; generaliter ſumptum in expreſſum, & tacitum diuidimus.

L X V I.

EXPRESSVM conuentione, vel citra conuentionem conſtituitur: conuentionale, vel generale erit, vel ſpeciale; illud in bonis omnibus debitoris tam præſentibus, quàm futuris; hoc in aliqua eius bonorum parte; vltra quam non extenditur. Citra conuentionem pignus introducitur, vel teſtatoris iuſſu, vel Magiſtratus auctoritate; & iſtud vel Prætorium eſt, vel iudiciale. Prætorium eſt, quod ex primo decreto abſque iudicij ſtrepitu datur; iudiciale, cum exequor rei iudicatæ, aliquid ex bonis damnati, iuſſu Magiſtratus capit.

LXVII.

TACITVM eſt, quod legis vel ſtatuti diſpoſitione introducitur. Quale eſt, quod domino prædij in inuectis, & illatis in prædium pro mercede, & damno rei locatæ conceditur; hoc tamen adhibito temperamento, vt in vrbanum indiſtinctè, in ruſticum domino tum demum ſciente: nam quamuis nulla alia ſpecialis conuentio fuerit interpoſita, ea tamen pignori tacitè eſſe placebit: quòd ſi tibi hæc opinio non arridet, contrariam tuebimur.

LXVIII.

ITEM tacitum vxori pignus competit in bonis mariti; quam omnibus creditoribus expreſſam quoq; hypothecam habentibus præferimus: pariter minori,& pupillo in tutorum, & curatorum bonis,pro adminiſtrationis officio: legatario, in bonis teſtatoris,pro legato conſequendo.Sed controuertitur an ſtudioſorum libri ſint apud hoſpitem tacitè pignoris loco;quod affirmamus.

LXIX.

OPPIGNERARE autem ij omnes poſſunt, qui liberam ſuarum rerum, & alterius patrimonij adminiſtrationẽ habent,& quidem res quaſcunq;,niſi ſpecialiter à lege, vel à natura prohibitæ inueniantur. Prohibentur autem inter cætera, liberi homines; qui, neque dum ab hoſtibus detinentur, donec λύτρον exoluerint, verè,& ciuiliter; ſed quaſi naturaliter pignori eſſe dicuntur. Vndè nullo modo,repreſſalias,ſiue hominum liberorũ oppignerationes,propter aliorum debitum,admittendas cenſeo.

LXX.

EX hoc contractu duplex pignoratitia deſcendit actio: vna, quæ debitori contra creditorem pro pignoris reſtitutione datur, ad id qđ ſua intereſt, ſi quod pignori damnum leui tantùm creditoris culpa datum ſit conſequendum;competitq́ue debitore ære alieno per naturalem, vel fictam ſolutionem liberato.

LXXI.

FICTA ſolutio, per chyrographi redditionem fit: quæ debiti remiſſionem inducit: pignoris verò reſtitutio non item: & hæc cur tam variè? petenti genui-

nam

nam diuerſitatis rationem afferre conabimur. Altera pignoratitia actio contraria eſt, quę creditori aduerſus debitorem datur, ad hoc, vt pignoris ratione indemnis ſeruetur.

ARCVS SEXTVS.

DE CONTRACTIBVS, QVI conſenſu perficiuntur.

LXXII.

HACTENVS de contractibus, qui re perficiuntur. Ad illos nunc, qui ſolo conſenſu conſtare dicuntur, gradum faciamus; qui quatuor in numero recenſentur, emptio ſcilicet, locatio, ſocietas, mandatum. Emptio eſt contractus ex conſenſu, quo rem alienam certo pretio nobis comparare intendimus. Regulariter emere, & vendere omnes poſſunt: exceptis furioſis, infantibus, pupillis, prodigis; non verò minoribus 25. annis.

LXXIII.

EMPTIONIS ſubſtantialia tria ſunt. Conſenſus res, & merces. Conſenſus certus in re certa erit; puta in corpore, & materia, circa quam ſi non in totum erratum ſit, conſiſtet tamen emptio. Res itidem certa, & talis eſſe debet, vt ab hominum commercio exēpta non reperiatur. Pretium, & ſuam certitudinem requirit, idque in pecunia numerata conſiſtit, vt diſtinguatur à permutatione, quam inter contractus innominatos enumeramus.

LXXIV.

SED, quia pecuniæ certitudo diuerſis modis euenire contingit: ideò quæri ſolet, an valeat venditio, ſi eo pretio fiat, quod in archa habeo? & affirmantibus calculum noſtrum addimus; modò vnus nummus non ſit, in eo namque pretio non conſiſtet emptio. Item an quando emptor dixerit, ſe velle rem emére iuſto pretio, an emptio ſubſiſtat? Et hoc in caſu cùm pecuniæ certitudo non ſit, emptionem contractam non eſſe iudicamus.

LXXV.

QVIBVS legitimè interuenientibus emptio perfecta erit, à qua, alteró inuito ſub arrharum diſpẽdio reſilire poſſe apertiſſimi iuris textibus innixi arbitramur. Cuius effectus erit, vt emptor ad dandum venditori pretium; venditor verò ad rem emptori tradendam teneatur: adeò vt, ſi rei tradendæ habeat facultatem, non liberetur præſtando id quod intereſt; ſed ad rem præcisè tradendam cogatur.

LXXVI.

DISSOLVITVR hic contractus re integra mutuò partiũ conſenſu, interdum propter læſionem, vltra dimidium iuſti pretij: nouo ſcilicet beneficio. l. rem maioris. 2. C. de reſcind. vend. quod, & ad emptorem ob correlatiuorum naturam extendimus; nam quamuis ſe inuicem contrahentibus circunuenire permiſſum ſit: id tamen citra fraudem, & doloſám machinationem fieri debet.

LXXVII.

LOCATIO eſt contractus nudo contrahentium conſenſu initus, de re certa mercede vtenda, fruendaque, vel

opere

opere faciendo ; vndè locatorem eum eſſe dicemus, qui conſtituta mercede rem vtendam, & fruendam alicui concedit ; vel in operis præſtandis officium ſuum offert. Conductorem, qui accepta mercede, rem vtendam, fruendamvè accipit; vel ab aliquo opus prę ſtandum ſuſcipit.

LXXVIII.

HICQVE contractus tantam cum emptione habet conuenientiam, vt eadē ſubſtantialia illi merito attribuē da cenſeā, conſenſum videlicet, rem, & mercedem: & quemadmodum emptionis pretium in pecunia ſolùm numerata conſiſtit; ſic etiam locationis mercedem in pecunia numerata conſiſtere debere dicemus.

LXXIX.

CONTROVERTI autem, hoc in loco, ab interpretibus ſolet; num à conductore integram mercedem exigere poſſint, qui ad certum tempus operas locaſſent ſuas; ſi quibuſdam diebus valetudo, aut alia iuſta cauſa impedimento ſit, quo minùs operas præſtare valeant. Affirmatiuam ſententiam, vt veriorem, & humaniorem amplector.

LXXX.

TEMPVS, & conditionem locatio recipit: & quia tacitè etiam iniri locationem indubitatum eſt, ideò conductor in re locata, non contradicente Domino perſiſtens de nouo conduxiſſe præſumitur, imò eadem pignorum obligatio perdurat. Ex hoc contractu, locati actio deſcendit, locatori competens, ad mercedem conſequendam: quam etiamſi præfixo, ac ſtatuto tempore conductor, vel emphyteuta non perſoluat; eos tamen propria auctoritate locator expellere nequit.

In quam actionem dolus, & leuis tantùm culpa venit.

LXXXI.

NASCITVR, & altera conducti actio ex hoc contractu, quæ conductori datur, vt re locata vti liceat; vel damna, quæ ob rei locatæ vitium conductor paſſus eſt, locator præſtet: vel, vt locator domum, vbi opus, reficiat. Inter cæteros modos locatio finitur, re locata vendita; adeò vt particuralis ſucceſſor ſtare locationi non teneatur.

LXXXII.

SOCIETAS eſt contractus cõſenſu initus, de rebus, operiſuè, eo animo initus, vt operæ, & res, earumuè lucra, & damna inter omnes communicentur. Hæc vel ſpecialiter vnius nimirum negotiationis, vel generaliter omnium ſcilicet bonorum initur; quàm, & tacitè quoque contrahi poſſe iudicamus.

LXXXIII.

QVOD ſi inter ſocios cõuentum ſit, vt eorum vnus operam, alter verò pecuniam conferat, legitima erit: lucrũ enim commune, non tamen pecunia: quæ finita ſocietate non diuidetur. Quod ſi contigerit, vt caſu fortuito illa pereat, periculum illius ad ſolum dominum ſpectare dicemus.

LXXXIV.

HIC contractus vltrò, citròque pro ſocio actionem parit, quæ finita ipſa ſocietate conceditur, ad hoc, vt commoda, omneſque ſocietatis res diuidantur, & id quod intereſt, ſi quod damnum, ex dolo, leuiq; tantùm ſocij culpa datum ſit, præſtetur. Soluitur præcipuè ſocietas, ſocij morte adeout, nec ab initio paciſci ſit conceſſum, vt ſocij hæres in defuncti locum ſubintrare valeat.

LXXXV.

MANDATVM eſt contractus ex conſenſu,quo quis vniuerſorum , vel certorum bonorum negotium gratuitò exequendum ſuſcepit ; quod non rectè ſolius mandatarij cauſa contrahitur ; magis enim conſilium , quàm mandatum videtur : vnde obligatorium non erit. Cæterùm conſilium, aliàs non contracturo datum, obligat . Doctores tamen , & cauſarum patroni ex conſilio ſuo regulariter non tenentur , niſi doloſè fecerint .

LXXXVI.

MANDATVM de licitis,ac honeſtis futuris rebus fit:turpis namq́ue,ac iniuſta res,nullum mandatum , ac obligationem conſtituit . Quòd ſi contigerit aliquod delictum , vel homicidium mandatum fuiſſe:tã mandans, quàm mandatarius eadem pœna punientur: excepto tamen caſu,quo mandans expreſsè vetuit,ne interficeret , ſed ſolùm vulneraret: & nihilominus ipſe mandatarius,& vulnerauit, & interfecit; tunc enim non ordinaria homicidij pœna mandantem plectendum eſſe iudicamus .

LXXXVII.

EX contractu mandati actio vna mandatori,& eius heredibus conceſſa deſcendit ad id , quod intereſt, ſi mandatum non impletum fuerit , aut ſi quid dolo, leuiq́ue tantùm mandatarij culpa commiſſum ſit, cõſequendũ. Altera contraria mãdati actio oritur, quæ mandatario competit, vt id,quod mandati nomine inſumpſit , repetat: modò mandati terminos non exceſſerit: quos ſi exceſſerit , & vtiliter geſſerit , id negotiorum geſtorum actione conſequetur.

ARCVS SEPTIMVS.

DE TESTAMENTIS.

LXXXVIII.

HACTENVS de ijs, quę inter viuos ex contractibus in iudicium deducuntur, viſum ſatis. Reſtat nunc vt ad ea, quę morituri peragimus, declinemus. Sed quia inter vltimas diſpoſitiones Principem locum tenet teſtamentum; ideò de eo primo loco videbimus. Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, ꝗ quis poſt mortem ſuam fieri velit.

LXXXIX.

CVIVS factio cum Iuris Ciuilis, non gentium ſit, omnib. permiſſa non erit: quidam enim ex eo, quòd ſint alienæ poteſtati ſubiecti, teſtari prohibentur; vtpotè ſerui, filijque familias, quibus etiam in ijs bonis, in quibus pater vſumfructum non habet, teſtandi facultatem denegamus. Nonnulli verò propter animi defectum teſtari non poſſunt, vt ſunt impuberes, mente capti, perpetuò furioſi, & prodigi: aliquibus verò ob corporis impedimentum interdicitur, vt ſunt muti, & ſurdi, qui ſi ex aliquo accidenti muti, ſurdique effecti ſint, ſcribere tamen poſſint, teſtari non prohibentur.

X C.

CÆTERVM ne inutile ſit teſtamentum, ſiue ſcriptum, ſiue nuncupatiuum, forma à iure data obſeruãda erit; quæ duplex eſt, intrinſeca, ſcilicet, & extrinſeca. Extrinſeca plura comprænhendit; puta, vt teſtator vno cõ-

textu teſtetur, hoc eſt nullo alieno actu interueniente. Quod non adeò ſtrictè accipiemus, quin poſſit, & aliquis contractus in eo celebrari.

X C I.

INSVPER, & ſeptem teſtes, ad hoc ſpecialiter rogati, eodemque tempore conuocati, requiruntur; niſi patris inter liberos teſtamentum ſit; illud namque nullis etiã teſtibus præſentibus conditum valebit. Sed num prædictus numerus ſeptem teſtium, in teſtamento tempore peſtis condito ſit adhibẽdus, controuerti ſolet. Nos, à negatiua communi ſententia diſputationis gratia diuortium facimus.

X C I I.

QVI quidem teſtes, vel per ſe, in ſcripto teſtamento, vel ſi ipſi ſcribere neſciant, per alios omnes ſubſcribere, proprijſque annulis, ſi proprios habeant, ſin minus alienis χαρακτῆρα habentibus conſignare debebunt teſtameutum. Sed cur annulis tantùm, non etiã alijs ſignis ſignare liceret teſtamentum? rationem nõ inelegantem dabimus ad intellectum. l. ad teſtium. 22. §. ſignum. D. qui teſtam. fac. poſſ.

X C I I I.

INTRINSECA forma, in hæredis inſtitutione poſita eſt, quæ anima teſtamenti eſt: ad quam formam pertinet, quòd liberi omnes ſui tam nati, quàm naſcituri, cuiuſcunque ſexus, vel conditionis hęredes ſine cauſali, vel mixta conditione inſtituantur, vel ex iuſta cauſa exhęredentur. Cauſæ autem iuſtæ in Cap. Aliud quoque capitulum Nouel. vt cùm de appellat. cog. 115. recenſentur. Num autem illæ tantùm admittendæ, &

pares,

pares, vel maiores excludendæ? contrariam proponẽti partem defendemus.

XCIIII.

LIBERIS igitur præteritis teſtamentum erit ipſo iure ciuili nullum, abſque eo, quod dicatur nullum: adeò vt ſi filius præteritioni conſenſerit, non propterea ſuſtinebitur. De iure autem prætorio teſtamentum, in quo ſuus eſt præteritus, datis bonorum poſſeſſionibus valere placebit. Quid verò ſi venientes ab inteſtato ſint hæredes inſtituti, in teſtamento, in quo ſuus eſt præteritus? Et placebit tale teſtamentum non ſuſtineri.

XCV.

QVAMQVAM ex diſpoſitione Authent. ex cauſa. C. de liber. præterit. irritum ſit teſtamentum filio ſuo à patre præterito; tamen id quo ad ſolam hæredis inſtitutionem, non autem quo ad legata, fideicommiſſa, & ſubſtitutiones etiam vniuerſales: itemq́ue quo ad alia capitula in eodem teſtamento relicta nullius eſſe momẽti ſtatuemus.

XCVI.

TANDIV porrò ritè conditum teſtamentum ſuſtinetur, donec infirmetur. Infirmatur duplici modo, vel ipſo iure, vel per Iudicis officium: ipſo iure cum rumpitur, aut irritum fit. Rumpitur agnatione ſui hæredis, & mutatione, hoc eſt poſteriore teſtamento ritè condito. Irritum fit teſtatore maximã, vel mediã, nõ autem minimam capitis diminutionem paſſo.

XCVII.

IVDICIS officio infirmatur teſtamentum per quærelam inofficioſi, quæ liberis vtriuſque ſexus conceditur, ſiue naturalibus, & legitimis ſimul, ſiue legitimis tãtùm:

modo

modò ab aſcendentibus adoptati ſint. Item parentibus hodierno quoque iure in linea recta: non itidē fratribus, & ſororibus germanis, niſi turpes perſonæ in eo ſint hæredes inſtitutæ, in quarum gregem ſpurium non enumeramus.

XCVIII.

HOCQ; extraordinarium non iure ciuili, vt Cuiacio placet, nec iure prætorio, vt multis viſum eſt, ſed moribus introductum remedium, ad vltima elogia defunctorum euertenda illis competit, quibus legitima quædā portio debetur, ex eo, quòd ſe præteritos, & non ex iuſta cauſa exhęredatos videant; quæ quærela, & hodierno quoque iure eo colore proponitur, quaſi ſanę mentis eo tempore teſtator non fuerit, quo conderet teſtamentum.

XCIX.

CESSAT hæc quærela cum legitima vel tota, vel aliqua eius pars authenticorum iure inſtitutionis titulo relicta non eſt; quam & parentibus, & fratribus quoque auctam dicimus: tunc enim quieſcente de inofficioſi quærela, ad legitimæ vſque partis ſupplementum condictione ex lege, non autem hæreditatis petitione agitur: quæ tamen legitima viuente adhuc patre non debetur: & quamuis is diſapidator ſit; eā tamen vt pater aſſignet, cogere haudquaquam filius poteſt.

C.

POST primum inſtitutionis gradum, ſecundus ſequitur, qui ſubſtitutio nuncupatur; quam definimus hæredis inſtitutionem in ſecundo gradu factam. Huius duæ ſūt ſpecies, directa vna, obliqua, ſiue fideicommiſſaria altera; ſed obliqua minùs propriè ſubſtitutio dicitur. Directæ

rectæ ſubſtitutionis ſpecies, aliorum penè innumeris diuiſionibus relictis, quatuor tantùm aſſignamus: vulgarem nempè, pupilarem, exemplarem, & militarem.

C I.

VVLGARIS ſubſtitutio eſt, quę vnum tantum caſum non aditæ hæreditatis comprehendit: vulgaris inde dicta, quòd vulgari modo, ideſt paſſim, & communi iure recepta ſit: dummodo ſubſtituens teſtamentum facere, & ſubſtitutus ex eo capere valeat: hæcq; vel tacita, vel expreſſa eſt.

C I I.

CVIVS effectus eſt, vt ſi in primo gradu inſtitutus, vel nolit, vel non poſſit eſſe hæres, ſubſtitutus ad hæreditatẽ admittatur: hinc anxiè ab interpretibus noſtris indagatur, an caſus impotentiæ ad caſum voluntatis, & per conſequens an caſus ad caſum ſit extendendus: mihi adhæreſcẽdũ illorum ſententiæ videtur, qui caſus ad caſum extenſionem recuſant.

C I I I.

VICINA hæc priori eſt quæſtio in ſcholis frequenti ſermone agitata: an ad hoc, vt vulgaris ſubſtitutio ſubſiſtat, neceſſe ſit hæredis inſtitutionem præcedere. Sunt qui Negatiuam ſententiam tuentur; longè tamen melius, & rectius illi, qui eam præcedere debere aſſerunt.

C I V.

CÆTERVM, ſi hęredes ſui, vel proprij ſerui, in vulgarem caſum ſubſtituantur, dubitari cepit, vtrũ eo ipſo adeũdi neceſſitas ipſis remiſſa videatur, & an talis ſubſtitutio voluntarios ex neceſſarijs illos faciat: quod etſi multis non diſplicere videamus, nobis tamen potior negatiua erit ſententia.

SED,

CV.

SED, quid ſi filiusfamilias hæres inſtitutus, ſubſtituo dato, hæreditatem repudiet, cuius potior cauſa erit; patris ne, an ſubſtituti? Equidem nos ſubſtituto fauere non dubitabimus; cum ſubſtitutionis conditio hoc caſu exiſtat.

C V I.

LVBET, & ſic inquirere, an filij in conditione poſiti cenſeantur vocati. Hæc quæſtio, à tot tam in foro, quàm in Lycæis noſtris virorum ingenijs fuit agitata, vt verè dicere poſſis eridos pomum in illorum veſtibulũ proiectum eſſe: alijs affirmatiuæ, alijs negatiuæ opinioni ſubſcribentibus; quæ negatiua, & nobis placet.

C V II.

PVPILLARIS ſubſtitutio, moribus populi Romani introducta illa eſt, qua pater liberis ſuis impuberibus, quos in poteſtate habet, alium ſubſtituit in eum caſum, quo hæredes extiterint, ſed ante pubertatem deceſſerint: ex qua definitione colligere licet, quinque neceſſaria, ad pupillarem ſubſtitutionem eſſe.

C V I I I.

PRIMVM, vt illi, quibus ſubſtituitur, ſint ſubſtituentis liberi: hocque ideò, vt peſpectum ſit, extraneis pupillarem ſubſtitutionem factam inutilem eſſe: in tantum, vt hæc ſubſtitutio, nec fideicommiſſi, nec vulgaris ſubſtitutionis iure ſuſtineatur. Secundum, vt ſint impuberes: abſonum alioquin eſſet, illis qui teſtamentum cõdere valent, teſtandi facultatem auferre.

C I X.

VNDE ſi alicui contigerit, vt vltra pubertatem in pupillarem caſum ſubſtituatur, nihil actum intelligatur; ſic

vt talis ſubſtitutio nequidem fideicommiſſi iure ſubſiſtat; niſi ea à milite facta fuerit: illam namque tanquàm fideicommiſſum, non verò, vt directam ſuſtinebimus.

C X.

TERTIVM requiſitum eſt, vt liberi, quibus ſubſtituitur, in ſubſtituentis poteſtate exiſtant: quãdo quidem hoc ſolius patriæ poteſtatis intuitu conceditur, vt ij de alienis rebus valeant diſponere; proindè matrem pupillariter ſubſtituere non poſſe dicendum erit; exemplariter verò poſſe.

C X I.

PORRO duo tempora, in quibus, vt liberi in poteſtate ſint, neceſſariò, & præciſè requirimus: nimirum tempus quo fit ſubſtitutio, & quo parens moritur; illo vt initium ſortiatur ſuum, iſto vt effectum ſumat; hocque obtinet, modò ſubſtituente defuncto, in alterius poteſtatem recaſuri liberi non ſint.

C X I I.

QVARTO requiritur, vt liberi, quibus ſubſtituitur, hæredes exiſtant; ſi quidem inſtituti ſint, (nam etiam exhæredatis ſubſtitui poſſe indubitatum eſt.) Quintò, & vltimò, vt liberi ante pubertatem deceſſerint, cum pubertate ſubſtitutio pupillaris regulariter expiret.

C X I I I.

DIVIDIMVS pupillarem, non minùs, ac vulgarem in expreſſam, & tacitam; hæc ſub expreſſa vulgari continetur, cuius non minor vis eſt, quàm expreſſæ. Vndè agitari ſolet, an pupillaris tacita matrem à ſua legitima excludat. Et cum affirmatiua ſententia longè firmioribus valletur argumẽtis, nos à negatiua abſtrahit.

CXIV.

EXEMPLARIS ſubſtitutio, quam nonnulli, & fortaſſe non malè, quaſi pupillarem vocant, illa eſt, qua parẽtes liberis ſuis puberibus, mente captis hæredem ſubſtituunt, in eum caſum, ſi ipſi hæredes non extiterint, aut extiterint, ſed deceſſerint antequàm ad ſanam mẽtem peruenerint. Fit puberibus, & mente captis, ſub quorum appellatione, etiam furioſos compræhendimus; ad prodigos, mutos, ſurdos, & ſimiles eam non extendimus.

CXV.

MILITARIS ſubſtitutio, multis, varijsq́; priuilegijs munita, illa eſt, qua miles non tãtùm liberis, ſed etiam extraneis, non tam puberibus, quàm impuberibus in ſecundum caſum ſubſtituit; quę cum non iure communi, ſed ſpeciali priuilegio militibus concedatur, ad Doctores, cauſarumque patronos eam porrigere non audeo.

CXVI.

HACTENVS de teſtamentorum iure viſum eſt: ſupereſt ordine, ita exigente, vt de acceſſorijs, ideſt de legatis videamus. Legatum eſt donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præſtanda: quod quamuis olim non ſolùm quo ad nomen, & appellationem ipſam, verùm quò ad formam, & verba, quibus relinquebatur; itemque quò ad effectum, plurimum à fideicommiſſis differret: id tamen, noua demum Iuſtiniani conſtitutione vnius naturæ, & poteſtatis eſt effectũ, adeò vt nullam amplius inter legatum, & fideicommiſſum ſingulare extare differentiam autumemus.

CXVII.

IN legatum autem non teſtatoris ſolùm, verùm etiã alienæ res rectè veniunt; modò alienas teſtator fuiſſe non ignorauerit: quòd quamuis regulariter obſeruetur; ſi tamen pijs cauſis legatum relictum ſit rei alienæ, quam ſuam teſtator eſſe arbitratus eſt: ob piæ cauſæ fauorem validum eſſe legatum cenſeo.

CXVIII.

IVRE demum res aliena legatur, modò ab hominum commercio exempta non ſit; aliàs ne quidem eius æſtimatio legatario præſtabitur. Hinc fit, quòd feudum legari non poſſit, & luſorium planè illud legatum ſit, etiam quo ad eius æſtimationem. Quid ſi rei commercium legatarius habeat, non tamen ius poſſidendi? illi eius æſtimationem adſcribam.

CXIX.

REM non tantùm ſpecialiter, verùm etiam generaliter quis legare poteſt; in quo generali legato cuius ſit electio, ac optio; grauiter admodum inter noſtros diſceptatur. Et quamuis olim inter legatum vindicationis, & damnationis differentia extaret; ita vt in illo electio penes legatarium, in hoc penes hæredes eſſet; hodie tamen eam indiſtinctè legatario attribuo.

CXX.

PERMISSVM eſt teſtatori, vt rem duobus, vel pluribus, ſiue diſiunctim, ſiue coniunctim in eodem teſtamento leget; ita vt ſi ambo ad legatum perueniant, inter illos legatum æquis portionibus diuidatur, quòd ſi nõ perueniant, id ad collegatarium pertineat.

CXXI.

SED quo nam iure? Et quamuis de hac materia non ſit

vna omnium interpretum ſententia; nos tamen triplici diſtinctione vtemur. Nam in reali coniunctione illorum inſiſtam veſtigijs, qui ius non decreſcendi eſſe aſſerunt; quamuis pars poſt acquiſitionem decreſcat. In verbali verò ius accreſcēdi, tàm in cauſa proprietatis, quàm vſusfructus non admittimus. In mixta tandem iuri accreſcendi locum patere defendemus.

CXXII.

LEGATORVM potiſſimus effectus eſt, vt ſtatim à teſtatoris morte dominium fictione iuris in legatariũ tranſeat; & ad legatum conſequendum, tres illi competãt actiones; rei vindicatio, perſonalis, & hipothecaria; quæ tum demum poſt aditam hæreditatem dantur, ad hoc vt rem legatam cum eius acceſſionibus, & fructibus legatarius conſequatur.

CXXIII.

A LEGATIS ordo nos ducit ad eorum amiſſionem, & diminutionem. Amittuntur inter cæteros modos ademptione, vel trãslatione. Ademptione, vel expreſſa, vel tacita: quæ propterea meritò teſtatori conceditur, ẽtſi dixerit ſe legatum reuocare nolle, cum nullam obligationem vltima voluntas ante mortem inducat.

CXXIIII.

ADEMPTIO autem expreſſa fit, cum diſertis, & contrarijs verbis res adimitur; puta non dò, non lego: tacita verò ademptio fit, veluti cũ inimicitię capitales inter teſtatorem, & legatariũ ſubortæ fuerint: item cum teſtator viuus legatam rem alteri donauerit. Per tranſlationem minuitur legatum, vtpote quod Sempronio legaui, hoc Titio do, lego, quod legatum à Sempronio ademptum eſſe, & in Titium collatum placet.

CXXV.

HIS, & ſimilibus modis legata amittuntur. Diminuuntur porrò, aut per legem falcidiam: aut per Senatuſconſultum Trebellianum. Hoc ad fideicommiſſa vniuerſalia, illa ad legata pertinet. Legis falcidiæ beneficium, hæredibus, eorumque ſucceſſoribus, non autem legatarijs, aut fideicommiſſarijs competit; quapropter ſiue vnus, ſiue plures hæredes in teſtamento ſcripti, grauatique fuerint, ſingulis locum lex falcidia faciet.

CXXVI.

HINC quæritur, pluribus ſcriptis hæredib. ex æquis partibus, & quibuſdam legatorum onere ad eam ſummam grauatis vt quartam ſuam ſaluam habere non poſſint: quibuſdam verò non ita grauiter euacuatis, an in ſingulorum partibus ratio falcidiæ ineunda ſit, an verò in toto aſſe? ex ſua cuiuſque parte, falcidiam deducendam eſſe rectius puto.

CXXVII.

FALCIDIÆ quartam hæreditatis quartam eſſe debere apud omnes in confeſſo eſt; vndè in illam tantùm imputantur, quæ hæres hæreditario, non quæ legati, vel fideicommiſſi iure, vel implendæ conditionis cauſa accepit: an porrò eam partem, quàm à coherede iure legati accipit, in ſuam quartam imputet? & negabimus: num, & quam à ſemetipſo accipit? & potior affirmatiua ſententia penes nos erit.

CXXVIII.

IN ponenda, ineundaq; legis falcidiæ ratione, bona conſideranda ſunt, ſicuti tempore mortis teſtatoris fuere: Et priùs æs alienum, funeris impenſæ, pretia ſeruorum manumittẽdorum, & quicquid hæredibus debetur eſt dedu-

deducendum: ac demum æſtimatione reſiduorum facta bonorum, de ſingulis pro rata cuiuſq; legatis falcidiæ quarta detrahitur; olim iure tantùm retentionis, hodie etiam vindicationis.

CXXIX.

ET hæc regulariter circa falcidiam ſe habent. Contingit tamen, vt quibuſdam in caſibus illi locus non ſit: videlicet cum teſtator eam, & quidem expreſsè prohibuerit: nam eo ipſo, quòd integra legata perſolui iuſſerit, non intelligitur teſtator falcidiam prohibuiſſe; item ſi hæres inuentarium facere neglexerit: ſi miles legauerit: tum ſi legatum piæ cauſæ relictum ſit.

CXXX.

AD exemplum quartæ falcidiæ, & quarta trebellianica eſt introducta, hæredi fideicommiſſo vniuerſali grauato cōceſſa: ne alioquin propter nullā commoditatem, oneroſam hæreditatem adire recuſet. Hoc Senatuſconſultum hæredi grauato, tàm ex teſtamento, quàm ab inteſtato venienti conceditur. Quòd ſi filius ſit, qui hęreditatē grauatus fuerit reſtituere: illū de iure canonico duas quartas detrahere volumus: de iure verò ciuili indiſtinctè, vnam tantùm.

CXXXI.

SED controuerti ſolet, num quartæ trebellianicæ deductio fieri debeat, ex tota hæreditate, an verò, ex eo quod ſupereſt deductis legatis. Et reſpondeò ex tota hæreditate. Vtrum verò funeris impenſæ ante trebellianicam detrahi debeant, vt in falcidia receptum eſt; placebit eas inter hæredem, & fideicommiſſarium, pro rata cuiuſcunque portione diuidendas eſſe.

ET

CXXXII.

ET quod communiter aſſeritur, ea, quæ ab hærede hęreditario iure, ſiue legati, ſiue fideicommiſſi percipiuntur, in trebellianicæ quartam imputari: non abſque diſtinctione admittendum cenſeo. Nam vel quæſtio erit de ea re, quæ pro hæreditaria parte capitur, & eam in quartam certum eſt imputari. Si verò de ea parte ſermo ſit, quæ à cohærede accipitur; tali caſu negantibus manus dabimus.

CXXXIII.

CESSAT trebellianica, ſi teſtator eam expreſsè prohibuerit: quam prohibitionem in liberos primi gradus extendere non dubitamus: item ſi inuentarium conficere hæres neglexerit: ſi annus poſt Iudicis officium elapſus ſit, & hæres defuncti voluntatem adimplere recuſauerit: tum ſi æs alienum totam defuncti ſubſtantiã abſorbeat, &c.

ARCVS OCTAVVS.

DE SVCCESSIONE AB INTESTATO.

CXXXIV.

ET hęc de teſtamẽtaria ſucceſſione dicta ſufficiãt. Supereſt, vt pauca de illa, quę ab inteſtato defertur, perquiramus. Succeſſio itaque ab inteſtato eſt hæreditatis defuncti acquiſitio, extra vltimum volũtatis caſum. Quinque gradus illorum ſunt, qui ab inteſtato ſuccedunt. Aſcendentium, & deſcendentium, collateralium, coniugum, & fiſci: de tribus prioribus tantùm diſpiciemus.

SED,

CXXXV.

SED cum proprium hæreditatis ſit deſcendere, ideò ad primum gradũ deſcẽdamus. Primas primi gradus partes filij naturales, & legitimi ſimul habẽt, nulla ampliùs ſexus, vel patriæ poteſtatis, ſuitatiſuè ratione habita; ita vt ſi ſoli reperiantur, in capita ſuccedant. His deficientibus, nepotes, pronepotes, & ſic gradatim in infinitum repræſentationis iure, ad inteſtatorum vtriuſque ſexus parentum in ſtirpes ſucceſſionem vocantur.

CXXXVI

NATVRALIBVS, & legitimis ſimul extantibus, an ad defuncti ſucceſſionem, vel ſubſequenti coniugio, vel Principis reſcripto, vel oblatione curiæ legitimati inuitentur, dubitari poteſt. Priores cùm in omnibus, & per omnia naturalium, & legitimorum loco habeãtur, ſimpliciter ſimul ſuccedere aſſeuero. Poſteriores, eo demum caſu ſuccedendi lucro recreo, quo certum ſit illorum neminem exiſtere.

CXXXVII.

FILII adoptiui, adoptione durante, tam patri adoptiuo, quàm naturali ab inteſtato ſuccedunt, idque indubitatum eſt, cum in patris adoptiui poteſtatem non tranſierint, ſed patris ſui naturalis iura ſarta tecta retinuerint. Cæterùm de ijs, quid aſſerendum, qui aſcendentium alicui in adoptionem dati in ipſius poteſtatem peruenerunt? Nos, & eos in bonis parentis naturalis ſuccedere dicimus.

CXXXVIII.

ALTER ſuccedendi ordo parentum eſt, qui extincta deſcendentium linea omnibus collateralibus, exceptis fratribus, & ſororibus vtrinque coniunctis ſuccedunt: ſed

ſed an ad defunctorum liberorum bona ſine rerum diſtinctione, quæ à paterna linea, vel à materna promanarunt, veniant? Illa opinio nobis arridet, quæ bonorum ſeparationem denegat.

CXXXIX.

TERTIVM, & apud nos vltimum (vltimam vt hiſce meis legalibus propoſitionibus manum adhibeam) legitimę ſucceſſionis ordinem tranſuerſalis linea dirigit, in qua primò ſuccedunt fratres, & ſorores legitimi ex vtroque latere coniuncti, vel ipſorum liberi, qui ſi ſoli exiſtant, eos in capita non autem in ſtirpes ad patrui ſucceſſionem vocari cum Azone concludimus.

PORTICVS TERTIA.

ARCVS PRIMVS.

EX IVRE CANONICO.

ASSERTIO PRIMA.

PRÆPOSITIS ijs, quæ ad Ciuilem diſciplinam ſpectant, ad Eccleſiaſticã deueniamus, quæ canonis nomine inſignitur. Canon autem ſignificat regulam, & quidem per Antonomaſiam, Eccleſiaſticam. Hæc porrò regula, ſiue ius Canonicum, Pontificum cura, & authoritate in vnũ quaſi corpus congeſtum, non ſolum circa res corporales; verùm, & circa incorporales verſatur. Corporales ſunt, quæ tangi, aut alio corporis ſenſu percipi poſsũt. Incorporales nullo corporis ſenſu percipiuntur.

II.

SACRAMENTA Eccleſiæ inter res corporales primas obtinent partes. Sacramenti vox à varijs variè accipitur: quandoq; iuſiurandum: nonnunquam rem abditam indicat: nunc, rei ſacræ ſignum nobis demõſtrat; qua in ſignificatione ita definiri ſolet. Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum, ad noſtram iuſtificationem inſtitutum.

III.

DISTINGVITVRQ; in neceſſarium neceſſitate medij, vel pręcepti: & in voluntariũ. Ad primum genus, Baptiſmus, Confirmatio, Eucharestia, Pœnitentia, & Extrema vnctio referuntur; quæ ſine periculo ſalutis prętermitti: aut certè temerè negligi non poſſunt. Ad ſecundum Ordo, & Matrimonium pertinent, quę pro cuiuſque arbitrio ſuſcipiuntur.

IIII.

SACRAMENTA quædam characterem inprimunt; ideſt ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile; vndè nec iterari poſſunt ſine ſacrilegio, veluti Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo: cætera repeti non prohibentur.

V.

HOCQVE omnibus commune eſt, quòd rem certam, vel determinatam, tanquam cauſam materialem; verba vti formalem; miniſtrum idoneum, vti inſtrumentum, exigunt; qui rectam intentionem ſeruarę debebit. Noſtri verò inſtituti eſt, de voluntarijs tantùm agere.

DE ORDINE.

VI.

ORDIENDO ergo ab ordinibus dicimus ea ſeptem in numero communiter recenſeri; videlicet Oſtiariatum, Lectoratum, Exorciſtatum, Acolytatum, qui minores dicuntur, Subdiaconatum, Diaconatum, Præsbyteratum, qui maiores, ſiue ſacri appellantur.

VII.

CVMQ; Ordinum ſuſceptio de genere permiſſorum ſit, omnibus eſt conceſſa: niſi qui à iure ſpecialiter remoti inueniantur: remouentur autem non baptizati, mulieres, ſerui, homicidæ, falſarij, alioq; graui crimine irretiti: bigami, illegitimi, rebaptizati, apoſtatæ, furioſi, dementes, vxorati, & illiterati.

VIII.

NEC ſufficit perſonæ habilitas: verùm, & certa tempora ordinibus conferendis ſtatuta ſeruãda, & prȩſcriptus conferendi modus requirũtur: præuio examine generis, perſonarum, ætatis, inſtitutionis, morum, & doctrinæ.

IX.

PERSONÆ autem omnes gradatim per temporũ interſtitia, abſque vlla mercede ab Epiſcopo erunt promouendæ, qui grauiter animaduertet, ne alienæ diœceſis ſubditum, abſque ſui ſuperioris licentia ad Eccleſiaſticos ordines, etiam ad primam tonſuram admittat. Et hæc de primo voluntario Sacramento dicta ſufficiant.

DE SPONSALIBVS.

X.

MATRIMONIVM Sacramentum voluntarium eſt, ſed quia vſu venit, vt matrimonio ſponſalia præcedant, ideò de ſponſalibus primo diſpiciamus. Sunt autem ſponſalia futurarum nuptiarum promiſſio, quæ nudo conſenſu inter præſentes, vel abſentes, ab impuberibus quoque, dummodo ad ſeptimum ætatis annum peruenerint, legitimè contrahuntur.

X I.

NEC in iјs vlla verborum, ſeu ſtipulationis ſolemnitas nec Parochi, nec teſtium pręſentia, nec ſcriptura requiritur; ad hoc, vt multarum materia litium præſcindatur; decenter tamen ſine vllo teſte non fiunt.

X I I.

PROMISSIO facta de contrahendo matrimonio, ſine intentione ſe obligandi, per ſe quidem non obligat; per accidens, ob ſcandalum, vel damnum, ſeu tertiæ perſonæ iniuriam deuitandam, non rarò; maximè ſi promiſſor, tali aſtu, virginem ſibi non inæqualem violauerit.

X I I I.

NEC ſufficit ad filiј ſponſalia parẽtum, tutorumq; promiſſio; niſi filius legitimam ætatem conſequutus, eam promiſſionem ratam habeat: quam habere quidem in externo foro cenſetur, ſi factum reſciens, non reclamet: ita vt hoc caſu, regulæ locus ſit; *qui tacet conſentire videtur*.

PRÆ-

XIV.

LEGITIMORVM pręcipuus ſponſaliorum effectus, eſt obligatio contrahēdi matrimoniū, ſub peccato mortali; & ex iuſtitia inducendi à Parocho ſunt ſponſi, vt diù matrimonium non differant, ad ſtupri periculum euitandū; niſi rationabilis cauſa contrarium ſuadeat.

XV.

POENIS regulariter compellendi ſunt ſponſi, vt ſponſaliorum promiſſionem impleant, etiam non iuratam: attamen per accidens ob incommoda, quæ poſt matrimonium euenire poſſent: iudex, vt impleant, cogere nō debebit; vt ſi graues, aut perpetuæ rixæ, aut alia grauia mala immineant.

XVI.

ETSI, quis adeò Punicæ fidei inueniatur, qui datam retractare fidem audeat: eum iudex ad reſarcienda damna alteri data compellet: veluti ſi ſponſa fidē eius promiſſioni adhibens, æqualē, vel minorē recuſauerit; iniquè deinde repudiata virum ſuæ conditionis æqualem nō inuenerit.

XVII.

ET quemadmodum ſponſalia minores, quam matrimonium ſolemnitates exigunt: ita ēt faciliùs, pluribusq; diſſoluuntur modis. Et primo quidem per ſubſequens matrimonium cum alia; tum mutuo contrahentiū conſenſu; tertio ſi alteruter cum domicilij translatione diſceſſerit, & biennio in prouincia manens, extra prouinciam triennio, non reuerſus fuerit: niſi à legitima cauſa impediatur.

XVIII.

ITIDEM, & ſponſalia infringunt defectus conditionis, ingreſ-

ingreſſus religionis, ſuſceptio ſacri ordinis, fornicatio alterutrius tam corporalis, quàm ſpiritualis, ſubſequēs aſſinitas, lepra, aut notabilis deformitas, tum demùm ea omnia, quæ poſt ſponſalia, ab altero cōtrahente denuò cognoſcuntur, quæ ſi prius innotuiſſent, ne matrimonium contraheretur, in cauſa fuiſſent.

ARCVS QVARTVS.

DE MATRIMONIO.

XIX.

POST ſponſalia Matrimonium ſubſequitur, quę vox diuerſa admodum ſignificata ſignificat, ad rem tamen eandem ſpectantia: aliquando enim contractum matrimonialem denotat; interdum obligationem ipſam ex conſenſu ortam: ſæpè vinculum, ſeu animorum vnionem, ab obligatione illa, tantùm ratione diſtinctam.

XX.

MATRIMONIVM porrò definimus maris, atque fœminæ coniunctionem eſſe, indiuiduam vitæ conſuetudinem continentem; hæcque coniunctio nō tam corporum eſt, quàm animorum: ſi quidem nuptias non concubitus, ſed conſenſus facit.

XXI.

HOCQVE Sacramentum inter Chriſtianos tantùm initur; cuius materia, & forma, non eadem ab omnibus conſtituitur. Nos tamen cæteris opinionibus relictis, mutuum contrahentium conſenſum, pro materia; verba, ſignauè, pro forma conſtituimus matrimonij.

XXII.

FINIS matrimonij, per ſe quidem (qui enim per accidẽs eſt, multiplex eſt, nec in ſententiam cadit) eſt cum honeſtę ſobolis honeſta procreatio, & educatio: tum fornicationis euitatio: eodemq; ſpectant tria illa matrimonij bona, fides, proles, & Sacramentum.

XXIII.

AD matrimonium contrahendum tria neceſſariò ſpectãda ſunt: ætas perſona, & conſenſus contrahentiũ: quorum vel vnius defectu irritum, & inualidum cenſetur matrimonium. Ætas porrò, quo ad Iuris Ciuilis diſpoſitionẽ, ea aſſignari ſolet, vt in maſculus decimuſquartus, in fœmina duodecimus annus requiratur.

XXIV.

SED rectius ſacri canones, eam à pubertate metiuntur; idest, ex vigore naturali, quo quis generare poteſt: adeo vt virgo, ſiue maſculus nonnunquam prædictum annorum numerum anteuertat: ſed hoc cum accidit, dicimus malitiam, ſiue prudentiam ætatem ſupplere.

XXV.

PERSONÆ omnes hoc Sacramentum ſuſcipere valent, modò à iure illis non interdicatur: quibus itaque interdictum eſt, duplici in differentia reperiuntur. Quidam enim ſunt; qui à natura, auctoritate legis ſcriptę prohibentur: alij à legibus præcisè. Prioris generis ſunt impuberes, frigidi, maleficiati, caſtrati, & ſpadones: deeſt ſiquidem in ijs ſubſtantiale matrimonij bonum, prolis, ſcilicet ſuſceptio.

XXVI.

IMPEDIMENTA à lege introducta duplicia ſunt, nam quædam reperiuntur, quæ matrimonium contractum diri-

dirimunt ; quædam, quæ contrahendum impediunt. Dirimentia ſunt cognatio naturalis, ſpiritualis, legalis, & affinitas, tam ex honeſtis nuptijs, quàm ex illegitimo coitu orta. Iuſtitia publicæ honeſtatis, quæ olim etiam cum ſponſalia valida non fuerant, dummodò non ex defectu conſenſus, vſque ad quartum gradum protendebatur. Sed ex Concil. Trident. intra primum duntaxat hodiè ſe continet.

XXVII.

NVMERATVR itidem ordo ſacer, infidelitas, crimen adulterij, vel homicidij, cum alterutrius coniugis ſciẽtia, vel ope perpetrati ad eum effectum, vt tum demum cum homicida matrimonium liberè cõtrahatur. Cauſæ contrahendũ matrimoniũ impedientes ſunt Eccleſiaſtici Iudicis interdicta; vetitum anni tẽpus; ſimplex caſtitatis votum; publica, & grauia delicta.

XXVIII.

VLTIMVM matrimonij requiſitum, vtriuſque contrahentium conſenſus eſt; qui talis eſſe debet, vt is, qui contrahit, verè conſentiat in matrimonium, de præſenti. Fictè enim matrimonium contrahens, nõ ſolũ grauem decepto iniuriam infert; ſed Sacramento etiã irreuerentiam maximam; teneturque in vtroque foro, ſi habilis ſit, matrimonialem conſenſum redintegrare.

XXIX.

DELIBERATVS conſenſus in contrahendo matrimonio neceſſarius eſt; liber à metu graui, ſeu cadente in conſtantem virum: nam ſi metus huiuſmodi interceſſerit, matrimonium ipſo iure nullum erit, quamuis iuramento fuerit firmatũ: metus autem reuerentialis,

nequit

nequit contractum dirimere matrimonium.

XXX.

DIXIMVS vtriuſque contrahentis conſenſum requiri, vt intelligamus ad matrimonium contrahendum, de iure Canonico, neque parentum, neque tutorum, vel curatorum, ſed coniugum tantummodo conſenſum eſſe neceſſarium: adeò vt non poſſit pater filiam, ſine eius conſenſu nubentem exhæredare, quinimmo tenetur eam quoque dotare, quamuis dotem marito mulier nõ promiſerit, modò non indigno, ac ignominioſo viro nupſerit.

XXXI.

ITEM ab omni errore, ſiue ignorantia, vt liberum ſit matrimonium, neceſſe eſt: cum nihil tam conſenſui ſit cõtrarium, quam error. Error ſi quidem perſonæ, & ſeruilis conditionis irritum reddit contractum, hic humano ſolo iure: ille verò naturali.

XXXII.

IGNORANTIA, ſeu qualitatis error, aut fortunarum, per ſe matrimonio nihil obſtat, per accidens obſtat: ſi huiuſmodi qualitas, ſiue qualitatis defectus, directè, abſolutè, vel conditionatè contrahentis voluntati repugnet: cuius nimirum intentio principaliter, & directè ferebatur, non in præſentem, ſed primogenitam, &c.

XXXIII.

CVM autem matrimonij vinculum per alterius coniugis mortem ita diſſoluatur, vt ſuperſtiti, ad ſecunda liceat conuolare vota. Quæritur an etiam inter viuẽtes eiuſmodi vinculi diruptio, quæ communi nomine diuortium appellatur, ſit aliquo in caſu admittenda. Sanè

K matri-

matrimonij conſummati vinculũ, quamdiu fideles cõiuges viuunt, inſolubile eſt. Si vero nondũ conſummatum fuerit, & alter religionem ingrediatur, diſſoluitur; habetque alter nouas nuptias eligendi poteſtatem.

XXXIV.

PER ſolam baptiſmi ſuſceptionem non ſoluitur matrimonium antea cum infidelibus contractum: qui tamen baptizatus fuit, altero infidelitatem retinente, ius habet, diſſoluendi coniugium, ſi infidelis cohabitare nolit: atque etiam ſi velit, vbi ex cohabitatione apoſtaſiæ imminet periculum.

XXXV.

A vinculi ſolutione, ſeparatio quo ad thorum longè differt: hæc iuſtis, certiſque de cauſis, etiam poſt conſummatũ matrimonium permittitur: veluti ob adulterium, ob furorem ſuperuenientem; vel mariti nimiam ſæuitiam, aut ſi vnus alteri peccandi occaſionem præbeat.

ARCVS QVINTVS.

DE DOTE.

XXXVI.

SED, quia matrimonij onus adeò graue, & moleſtum eſt, vt egrè admodum mulieres maritos inuenirent; ideò ad matrimonij onera, & illarum moleſtiã compenſandam de dote prouiſum illis eſt. Quamuis enim nuptiæ ſine dote eſſe poſſint; conſtat tamen do-

tis

tis cauſam, ita matrimonio eſſe cõiunctam, vt nulla dos ſine coniugio intelligatur.

XXXVII.

QVAPROPTER dotem definimus, eſſe pecuniam, nuptiarum cauſa ita marito datam, vt eius fiat, eiq́ue ad matrimonij onera deſeruiat: quam in profectitiam, & aduentitiam diuidimus: illa eſt, quæ à paternis bonis, vel eius facto proficiſcitur; quam paternæ pietatis intuitu, etiam diuiti, & emancipatæ filiæ præſtare pater cogitur.

XXXVIII.

ADVENTITIA verò dos dicitur, quæ ab alio quouis extraneo conſtituitur. Quod ſi contigerit ipſam mulierem dotem promittere, fideiuſſoremq́ue interponere, ille obligabitur; datus verò à marito pro conſeruanda, vel reſtituenda dote: ſecus erit.

XXXIX.

DOS conſtante matrimonio à marito non repetitur: niſi is dilapidando, ad inopiam vergat. Soluto verò matrimonio, actio ex ſtipulatu bonæ fidei competit, qua mulier ipſa ſola, vel pater cum ea, hęredesve mulieris, aduerſus maritum, vel eius hæredes, ad dotem repetẽdam agunt.

XL.

QVOD ſi dos fuerit profectitia, mortua vxore, ea ad patrem reuertitur: niſi aliud pactum interpoſitum fuerit: vel filia ſuperſtites liberos reliquerit; tunc enim non ad patrem reuerti, ſed penes maritum illam remanere dicemus.

XLI.

INTERDVM verò dos tàm de iure ciuili, quàm canoni-

co amittitur; nempè per adulterium. Sed an per oſculum luxurioſum, aut ſtuprum idem ſit admittendum acriter valdè controuertitur? Nos inficias ibimus; ne pœnam in grauioribus conſtitutam cauſis, ad leuiores extendamus.

ARCVS SEXTVS.

DE ECCLESIIS.

XLII.

OMNIA ferè ſacramenta plerumque in Eccleſijs miniſtrantur. Vndè non abſonum erit, vt quædam, quæ ad illius inſpectionem faciunt, inquiramus. Eccleſiæ autem nomine, hic accipimus ædificiũ diuino cultui exercendo dicatum.

XLIII.

OMNIBVS Eccleſiam erigere permiſſum eſt, non tamen ſine ordinarij facultate, qui neceſſitatis, & voluntatis cauſam cognoſcere, locum idoneum deſignare, deq; prouentibus prouidere debebit; & curare, vt fundator dotem congruentem aſſignet, neque vt inde quæſtum aliquem quærat; ſin minus ordinarius ipſe dotet.

XLIV.

QVIBVS præmiſſis ab Epiſcopo Diœceſano Eccleſia cõſecrabitur: & quia conſecratio reiterari non debet, ideò ſi prophanata credatur, vel per humani ſanguinis effuſionem, aut per excommunicati ſepulturam, repurganda ſolùmmodo erit, non reconſecranda.

AR-

ARCVS SEPTIMVS.

DE IMMVNITATE ECCLESIASTICA.

XLV.

NE autem diuinus, vel Eccleſiaſticus cultus, vllo modo, vel impediatur, vel dehoneſtetur; à ſacris Canonibus conſtitutum eſt, ſuffragantibus pariter iuris ciuilis conſtitutionibus, vt Eccleſiaſticæ res, earumq́ue perſonæ, ab oneribus, & officijs ciuilibus immunes exiſtant.

XLVI.

PROINDE triplex eccleſiaſtica immunitas aſſignatur. Localis vna, Perſonalis altera, Realis tertia. Immunitas localis eſt, quæ eccleſijs ipſis, earumq́ue cimiterijs tribuitur: in hoc potiſſimum ordinata, ne in ipſis negotiationes, & ſecularia iudicia exerceantur.

XLVII.

INSVPER, & ad hoc localis immunitas ſe extendit, vt criminum reis, ad illam confugientibus, aſylum præſtet; hi enim, quamdiù ibi manent, ſecuritate gaudent; adeò vt indè, à iudice ſeculari, nec à quocunque alio, vllã ratione extrahi poſſint.

XLVIII.

SED omnesne, qui grauia ſcelera patrarunt, tali immunitate donantur? neutiquam verò: latrones enim publicos, nocturnos agrorum depopulatores, & qui in Eccleſia delinqunt, tali priuilegio immunes eſſe conſtat: iure autem, falſarij, homicidæ, adulteri, quinimo, & virginum raptores aſylo muniuntur.

QVÆ-

XLIX.

QVÆSTIONIS eſt, an ille adeò impudens, & irreligioſus, qui in ſolo prophano exiſtens, alterum in Eccleſia, vel propè eam degentem, immunitatis ſpe occiderit, Eccleſiaſticam immunitatem conſequi valeat? Negatiuam ſententiam eligimus; adeò vt nec alterius cuiuſlibet Eccleſiæ priuilegio gaudere poſſit.

L.

REVS criminis ad Eccleſiam confugiens, quem iudex, vel eius familia fugientem aſpectu, & curſu perſequebatur, à templo ad càrcerem deduci non debet. At ſi captus à iudicis familia; dum ad publicum carcerem deducitur, ſacra limina attigerit, immunitatem implorare nequit.

PORTICVS QVARTA.

ARCVS PRIMVS.

DE RE BELLICA.

ASSERTIO PRIMA.

ILLVD ſcientiarum ærarium, reconditarum naturæ rerum Oraculum; noſtrorum temporum in Phyloſophicis Coryphæus. Ariſt. lib. 7. polyt. cap. 14. ſcribit, omnem vitam, ſeu Rempublicam in negotium & otium, pacem & bellum diuiſã eſſe: illic iuſtitia, & legibus; hic verò armis potiſſimum opus eſt. De iuſtitia, hisque rebus, quas viuẽtes, ſiue morituri, ſecundum leges, in pace præſertim peragi-

peragimus, expoſitum ſatis. Nunc conſequens eſt, vt ad ſtatum bellicum, ſeu turbatum, tenui ſupercilio declinemus, & exanguem ſaltem tentemus conflictũ.

II.

NEC eſt, vtq; cum Pyrho Saluſtiano in ſcœnam prodeat, & aures noſtras vellicet, ac dicat; ne mihi de militia iudicetis, cuius aures tubarum clangor non circũſonuit: nec Annibal aliquis, qui thraſonica arrogantia, Phormionem Philoſophum de bellicis rebus diſſerentem, eum deſipere, & delirare dixit; quòd de re militari, cum aciem nunquam viderit, coram milite, & Imperatore præſtantiſſimo, auſus eſſet verba facere.

III.

SED obticeſcat. Et quiſnam adeo inſcius, qui ex altiſſima hiſtoriarum ſpecula proſpiciẽs, & Xenophontem, Thucididem, Appianum, Iulium Cæſarem, Vegetium, alioſq; rei bellicæ ſcriptores perluſtrans; non vnum aut alterum, ſed quamplurima prælia, & acies, mentis ſuæ oculo non cernat. atque ex inde non minus rectè de militiæ ſtudijs iudicare ſæpè poſſit, quam qui inter medias turmas, & globos, *Spirauit pectore Martem*.

IIII.

QVASI verò, vt qui militiæ ſacramento adacti fuerint, ipſi ſoli conſilium ſuppeditare, deque belli præparatione, ac ſuſceptione cognoſcere tantùm valeant. Hoc enim modo nec peritus parturienti mulieri conſilio Medicus adeſſe poſſet: cum ipſe non pepererit. Sed cum in tãta vitæ perplexitate, eius, & præſentia & auctoritas, quam maximè ſit neceſſaria: Cur ergo & Iuriſperitus pereclitantis Reip. Medicus, quæ partus bellicos in ſinu ſuo fouerit, illi laboranti erit remouẽdus?

cum

cum ille ſuis bellicis conſilijs medelam queat ſuppeditare tutiſſimam.

V.

SED quemadmodum obſtetrices, quæ, & ipſæ partus oneri fuere implicitæ, meliùs, & dexteriùs de partus actu, & eius periculis moneri poſſunt, quam vllus Hypocrates, aut Gallenus. Haud aliter veteranus miles rectiùs iudicat de exercitu, de caſtris, deque agminibus, &c. quam togatus aliquis conſiliarius. Et concedimus illi, quidem ſpecialem, ex proprijs caſibus, & exprimentis cognitionem. Generalis verò rerum bellicarum Mineruæ ſtudioſis notitia, ex doctrina, auditione, & lectione earundem cur denegabitur?

VI.

QVÆ cauſa eſt, vt nos ſuſceptionem, & belli præparationem tentemus; non verò aciem inſtruamus, aut ipſum actum bellicũ perſtringamus. Sed vt propiùs ad rem accedamus. Bellum, ſeu à Belluis, vt Feſtio, & aliquibus placet; quod belluarum ſit, non hominum, in mutuum ſæuire exitium: ſiue, cum Priſciano, & Cçteris Grammaticis, per Antiphraſim, Bellum, quaſi minimè bellum; quòd nihil belli, & boni in ſe contineat, deductum putes. Definimus actionem eſſe, à legitimo Magiſtratu, aduerſus hoſtes ad depellendam, vel vindicandam iniuriam, vi, armiſque legitimè ſuſceptam, & adminiſtratam, pacis acquirendæ, vel retinendæ cauſa.

VII.

HOCQVE, relictis aliorum diuiſionibus, in offenſiuum, vel defenſiuum diuidimus illud ad vindicandam, vel ad compenſandam iniuriam infertur: hoc ad ſolius defenſionis

ſenſionis cauſam ſuſcipitur: neutrum illicitum, & contra ius naturale, ac pietatem Chriſtianam eſt; vt Chriſtianis prorſus ſit interdicendum modo illud legitimum ſit. Nam militare non eſt delictum, ſed propter prædam peccatum eſt: nec rempublicam gerere criminoſum eſt, ſed ideò eam gerere, vt rem familiarem potius augeas, deteſtabile.

VIII.

IVSTVM, inquam, debet eſſe bellum: nam qui in bello vincere cupit, videat, vt Deum æquitate cauſæ, & belli à ſe ſuſcepti à ſuis partibus habeat; nam vt Poeta canit,

Non vis, aut numerus, tandem bona cauſa triumphat.

Si quidem arma contra ius, & fas ferre, non eſt militem eſſe, ſed latronem. Nequeglorioſa eſſe poteſt victoria, in qua virtutis laus amittitur: immo nihil tam ab humana generoſitate abhorret, quàm bellum, in quo plura legibus, quàm hoſtibus vulnera imponuntur.

ARCVS SECVNDVS.

DE CAVSIS BELLI IN GENERE.

IX.

IVSTVM autē bellum conditiones requiſitæ faciunt, quæ tres in numero cōmuniter recenſentur. Legitima ſcilicet authoritas; cauſa iuſta, & recta intentio. Vt videlicet amore iuſtitiæ, ſeu iuſtæ indemnitatis, nō ex odio, ac ex priuatæ vlciſcendi vindictæ cupiditate ſuſcipiatur.

X.

AVCTORITATEM porrò in bello defenſiuo vnuſquiſque populus, ſiue Princeps ſatis abundè legitimam habebit. In offenſiuo vero auctoritatem Summi Principis requirimus in cuius manu, ac poteſtate arma ſint; vel alicuius Magiſtratus, qui in ſuo regimine alium ſuperiorem non agnoſcat.

XI.

IN genere loquendo, iuſtam cauſam iniuria conſtituit: quam aut iure defenſionis repellere: aut iure commutatiuæ iuſtitiæ compenſare: aut iure vindicatiuæ vindicare, auemus. Idq́ue cum aliundè debitam ſatisfactionem præſtare aduerſarij recuſant. Iniuria autem non leuis, paruique momenti eſſe debet, ſed talis, vt non immerito tot belli calamitates, ei poſtponantur, cuiuſmodi ſunt cędes, incendia, &c.

XII.

CAVSA vero iuſta alia formalis, alia materialis eſt; hęc, vt in bello defenſiuo reperiatur, ad compenſandam iniuriã illatò, ſufficiet: ſicuti cũ hoſtis rem noſtrã, tanquã ſuam detinet; aut ſi ex ea ditior factus fuerit: illa, vt in bello offenſiuo cum materiali, necnon cum culpa, & quidem craſſa coniungatur, neceſſe eſt.

XIII.

IVSTÆ ſpeciales cauſæ; quamuis pro varietate caſuum infinitæ conſtitui poſſint; omnes tamen ad duo capita, ſine magno negotio reuocabimus: vt ſcilicet cauſa ſpecialis iuſti belli, alia ſit defenſoria, alia vindicatoria. Defenſoria cauſa eſt, cum bellum pro reip. vtilitate, pace, ac tranquilitate, pro fidei, ſui, ſuorumq́;, necnon

non ſociorum, vel etiam oppreſſorum defenſione ſuſcipitur.

XIV.

VINDICATORIAM cauſã eſſe dicimus cõtumeliã Principi, aut reip. notabilem illatam; vt ſi legati iuregentiũ inuiolables lædantur: item ob auxiliares copias hoſti noſtro, cum quo iuſtè bellum gerebatur, præſtitas: ob iuſtitiæ, aut eorum, quæ iuregentium debentur denegationem: fœderiſque ſanctè, legitimèque initi violationem: tandem ad res noſtras vi ab alijs detentas, recuperandas.

XV.

DELINEATIS iuſti belli cauſis, vt ad iniuſtas deſcendamus, expedit. Hæ autem occultæ, & intimos animorum receſſus occupantes ſunt. Ambitio, & gloria: libido dominandi, ſeu cupido Imperij, & diuitiarum: odium priuatum: nocendi, fecitas: vlciſcendi crudelitas: rebellandi cupiditas: luxus, & nimia fœlicitas. Quod bellum à ſtultitia, atque malitia natum, in infinitas meritò miſerias, ac deplorandas calamitates, cum totius exercitus detrimento vltimoq; Reipublicæ interitu, ac exitio deſinit.

XVI.

SVPERESSE, & alia quædam legitima inuadendi cauſa videtur, quæ citra iniuriam fit: vtpotè in barbaros, moribus, & religione prorſus à nobis abhorrentes inuaſio. Vndè tam à ſacris, quàm politicis Doctoribus agitatum fuit; an ſola populi alicuius nobis non ſubiecti infidelitas, iuſtam belli gerendi cauſam præbeat: & quamuis non infimas Doctorum Claſſes, in affirma-

tiuam partem iuiſſe non ignoremus: contrariam tamē ſuſtinere non dubitabimus.

XVII.

HOC enim eſſet, fidei catholicæ prætextu, auidè aurum adfectantibus aditum patefacere, vt ethnicorum regna, nulla effundendi ſanguinis humani ratione habita, inuaderent; & ante omnia aduerſus hoſce infideles, horrendæ prius boantes bōbardæ intonarent, quarum tremendo tonitru, quam pia potiùs concionatorum inſtructione, oratione, redemptionisque noſtræ ſigno, horum aures arrigerentur, & corda, ad Orthodoxam fidem ſuſcipiendā, aperirentur. Sed caueant, ne tali ſacra fame oppreſſi, auro deinde diffuſo ſaturent.

XVIII.

QVID ſi infideles hi idolatrię ſeſe dent, ac perfricta fronde nefanda ſcelera, cōtraque naturæ legem, deteſtanda crimina committant? Et hoc in caſu non malè deffendi poſſe arbitramur, ab armis eſſe abſtinendum. Melius enim eſt, Dei gratia, exemplo, & oratione, quam humanis armis tales noctuātes homines propugnare.

XIX.

HÆ communiter iuſtæ bellum mouēdi cauſæ recenſentur, circa quarum æquitatem ſi contingat, vt aliqua dubitatio emergat: cum ſępè quis in propria cauſa cęcutiat; priuatiq; affectus ſubindè vehementiores ſint, quam vt vera ratio locum inueniat. Eſt vt Princeps, in tali deliberatione ita dubia, & dubij rei euētus, virorū ſapientum, & procerum ſuorum iudicium requirere non negligat.

XX.

QVOD ſi poſt acuratam, ac ſolertiſſimam prudentum

cauſæ inueſtigationem, adhuc dubium ſit, an cauſa indicendi bellum iuſta, an iniuſta exiſtat; dicemus tali in re æquè de bello alicui intentando nobis dubiū eſſe: poſſe tamen ſe, quem tali in dubio bello tueri.

XXI.

VNDE, & illius quæſtionis deciſio promanat: num ſi vna pars de cauſæ iuſtitia dubitet; altera verò de ea ſe certam putet: nos in eā imus ſententiam, vt quemadmodū huic licet, reliquis concurrētibus, totum ab altero armis vindicare; ita illi, ſi in poſſeſſione fuerit, in ea ſe ratione totius defendere.

XXII.

QVID ſi ſubditi in cauſæ æquitate dubitent; Princeps verò ſe iuſtam fouere cauſam credat; an teneantur Principis ſui mandatis parere? vtique non modò in defenſiuo bello, verùm etiam, & quando contra alios arma mouere decernit.

XXIII.

SED poſtquam ſe iuſtam Princeps fouere cauſam cognouerit; non erit confeſtim, ad arma capeſcenda proſiliendum: tentanda namque prius iuris via eſt; maximè, ſi is cui bellum indicitur, ſe iudicio ſiſtere velle obtulerit. Inhumanum enim eſt, contempto iuris, & æquitatis ordine, abſque legitima cauſa ad arma proſilire, & fortitudinē, ac iuſtitiam, in violentia quærere.

XXIV.

CERTVM id enim Iure gen. eſt ab armis eſſe abſtinendū, vbi iure aliquo agi poteſt, omnia namque prius iure, quam armis experiri ſapiētem decet, ex quo efficitur, cum nullus æquitati, aut legibus locus reperiatur, tunc

armorum

armorum vim, ad ſua recuperanda, neceſſariam, & tutiſſimam eſſe.

XXV.

BELLA ſi quidem facilè quis inducere poteſt, explicare autem ægerrimè; cũ in eiuſdem poteſtate initium, & finis non reperiatur. Incipere enim cuiuis ignauo licet, deponere cum Victores volunt. Itaque bellum ſuſcipiatur, vt legibus locus ſit, & nihil aliud quam pax, Reipublicæq; tranquilitas quæſita videatur. Magnanimi namque Duces pacis cauſa, bellum gerunt, & duros militiæ labores, ſpe otij ſuſtentant.

XXVI.

CVM tamen hodiernum ius, apud quoſdam in nummis, & armis ſit conſtitutum; adeo vt ſacrum violare fœdus, alienasq; ditiones Vulpino aſtu, ac ficto quodam prætextu inuadere non erubeſcant: & ſi quandoq; videãt, ad veſanam ſui regnandi cupiditatẽ aliquid deſiderari, ſimulatione ſarciunt: & quas res obtinere virtute non poſſunt, fraude quærunt: ac ſi maior vis ſit aſtutiæ, quã prudentiæ; calliditatis, quam veritatis: aut quaſi homines ludi ſe malint, quam regi.

XXVII.

IDEO neſcio quanam fronte, ab alijs fidem, iuraque exigere, ac expectare audeant, quam ipſi non præſtant. Neque eſt inde, quod doleant, in pręceps ire, quod ipſi in præruptum impoſuerunt: an aliud expectari poteſt, vbi aſpidem à viperis mutuarunt.

XXVIII.

LEGITIMAS belli gerendi cauſas, hactenus perſtrinximus; ſimulque illegitimas, quas inter libidinem dominandi, ſeu ampliandi Imperij eſſe diximus, retulimus,

&

& reijcimus. Sed quia nonnulli auſi ſunt aſſerere, Principem Chriſtianum, rectè poſſe eius rei cauſa arma ſuſcipere: & illud Imperium eſſe legitimum, ac fundamẽtum regiminis habere, quod hujuſmodi inuaſione acquiritur.

XXIX.

IVRE igitur meritò perfidam opinionem cum Papin. in l. 15. ff. de cond. Inſtit. & Proclo in l. 123. ff. de verb. ſig. reijcientes: id demum quemque poſſe aſſerimus, quod iure, honeſtate, & dignitate ſalua poteſt; pulchrum eſt enim Regnum ſibi iuſtitia comparaſſe; pulchrius tamẽ iuſtitiam Regno prætuliſſe. Quin & ſæpiùs alienis inhiantibus rebus accidit, vt propria amittant; ſæpeque amborum captator, vtriuſque perditor meritò fuerit. Prævalidam namque oportet alitem eſſe, quæ prædam alienis vnguibus detentam extrahere tentat.

ARCVS TERTIVS.

DE APPARATV BELLICO.

XXX.

SIC belli cauſis delineatis expedit nunc, vt ad neceſſaria, vtiliaque, ad hoc, vt proſperè id geratur deſcendamus: quippè cum prudentia bellica, ante bellum, in bello, & poſt bellum decernatur: ante bellum in neceſſarijs, ad illud gerendũ; quæ in apparatu bellico conſiſtunt. Nam ſi ſemel quis hoſtem occupatũ prçuenerit, metu vniuerſa turbantur; & quæ ex alijs locis petenda ſunt, interclusis itineribus denegantur.

APPA-

XXXI.

APPARATVS autem nomen in Politicorum ſcholis pecuniam, comeatum, & arma complectitur. Et quòd pecunia in re bellica neceſſaria ſit nullus eſt, qui dubitet: quemadmodum enim homines ſine neruis, ſpiritibusvè vitalibus ambulare nequeunt; ita nec bellum vſquam ſine re monetaria progredi poteſt.

XXXII.

SED quoſdam proclamantes mihi audire videor: non in pecunia, ſed eximia militum, ducumque virtute belli neruum conſiſtere; illa vbi adſit, auri parandi cauſam deeſſe non poſſe: vbi abſit, pecuniam nihil aliud eſſe, quam hoſtium irritamentum, Domini proditorē: ferro bella geri, non auro; aurum ferro eripi: neque pecunia milites parari; ſed militibus pecuniam. Si theſauri bella conficerent, à Dario Alexāder, à Græcis Romani ſuperari potuiſſent.

XXXIII.

VERVM enim verò, armis bellicaq́ue Ducum, ac militū virtute, non auro bella geri fatemur: conſtat tamen fruſtra arma capi, niſi auro, & pecunijs ſuſtineantur. Quàm ſæpe autem, quæ inuicta erant armis, auro ſunt ſuperata: imo non fuit opus armis, quo erat acceſſus aſelli auri onuſti: quin, & nonne hodie, apud quoſdā compertum nouum pugnādi genus eſt? argenteis ſcilicet haſtis, & aureis pilis, quib. omnia proſternuntur.

XXXIV.

PECVNIA legitimo modo cōparatur, ex agris publicis, ſubditorum vectigalibus, cenſibus, tributis, ſtipendijs, mercatura, & negotiationibus, amicorum liberalitate, hoſtium ſpolijs, metallis, alijsq; ſimilibus.

QVIA

XXXV.

QVIA ferro ſæuior eſt fames, & nimis graue eſt, ſimul cum hoſte, & natura pugnare; ideò in re militari non minima cõmeatus cura eſt ſuſcipienda: nam qui rem ita inſtituit, vt ſibi victus ſufficiat, & hoſtes inopia frãgat, is quaſi victor extitit: inopiæ enim deſperatio cõiungitur, & ægrè admodum diſciplinam militarem ieiunus exercitus ſeruare poteſt.

XXXVI.

ARMA ad rectam militiam inſtituendam eſſe neceſſaria, tam in procliui eſt, quàm pluuia cũ imber eſt, vel dies, quando Sol lucet. Conſultum igitur erit, vt armamentarium Princeps habeat, in quo multo ante omnis generis arma, tela, caſſides, clypeos, tormentaq́; bellica recondita ſeruet, quantum ad iuſtum cùm peditũ, tùm equitum numerum ſufficiet; nam ſubitò ægrè iſta parantur, & ſemel parata non ſolum in belló valent, ſed etiam ſi non ſit bellum.

XXXVII.

ADDO, naues, & inſtrumentum omne bellicum, ſi regio maritima ſit, vel portuoſa; talia namq; arma in promptu, & expedita ſemper habebit Princeps; vt ſi quæ, vel repentina neceſſitas, vel improuiſa vis hoſtium ingruat, Remp. & Regnum ſuum à ruina, & exitio ſeruet incolume.

XXXVIII.

ET quamuis aduerſus tormenta bellica, & quaſuis murales machinas, varia adferri in medium poſſent, quare eorundem vſum à bellis pręſtaret abeſſe. Nihilominus aſſerimus ad noſtræ tempeſtatis arces oppugnandas, & euertendas ea eſſe maximè neceſſaria.

XXXIX.

AD ARMA, cum hoſte dupliciter deuenitur: aperto ſcilicet Marte, aut calidis, & doloſis inſidijs, ingenioſiſſimè excogitatis, atque extructis (quæ ſtratagemata nuncupantur) tam vt tibi caueas, quàm vt hoſtem opprimas. Propterea quærunt Doctores an ijs licitè in bello liceat vti, necne? ſunt qui in Affirm. quiuè in Negat. partem eunt. Nos tamen non inuiti fatemur, eſſe ſanè militis, imo viri, palam, ac armatum aggredi hoſtem, & vlciſci: verùm cum is hoſtis ſit, nihil referre exiſtimamus, quibus medijs, aut qua nam arguta caliditate id fiat.

ARCVS QVARTVS.

DE FOEDERE.

XL.

CVMQVE ſæpè Principes periclitentur, ne ab vno hoſte tantum; ſiue, vt meliùs dicam, ab vno rapaci vulture; tali tamen, qui vel ipſe potens valdè ſit: aut à pluribus, cauſæ tamen ſocijs depredentur: expedit, vt quãtum poſſint, & ipſi in quoſuis futuros euentus ſocios parent; ſed huiuſmodi, à quibus ob nimiam eorũ potentiam aliquãdo periculum pertimeſcere non valeant: vel ne ob nimis exiguam, plus ijs opis præſtare debeant, quam viciſſim ab ijs ſperare queant.

XLI.

MVLTO MINVS cum illis ſocietas eſt ineunda, quorum, vel cauſa bona nõ eſt; vel qui cauſas non bonas fouẽt;

qui

qui fidem non dant, niſi cum indigent; quando verò non indigent, alijs datam non ſeruant; qui non ideo fœdera quærunt, ne bello illis noceatur, ſed vt illi impuniùs nocere alijs poſſint. Vt nec conſultum cum illis ſocietatem inire, qui longiùs à nobis diſſiti, quàm vt eos iuuare, vel nos ab illis iuuari poſſimus, niſi nimio cum ſumptu, & proindè tardè nimis.

XLII.

LICET etiam variè diſceptetur, an cum infidelibus conceſſum ſit Chriſtiano Principi fœdus, & ſocietatē inire. Cumq; in vtramq; partē rationes, & exempla, etiam ex ſacris literis proferātur fortiſſima, quibus tales ſocietates nunc approbantur, nunc reprobantur. Tamen ſic eam rem rectè decidi poſſe arbitramur; vt extra ſummā neceſſitatem non poſſit; & niſi indè plus ſit ſperare boni, quàm mali timere.

ARCVS QVINTVS.

DE MILITIBVS.

XLIII.

MVLTVM equidem intereſt prædicta preparaſſe: ſed ad quid hæc omnia, niſi & ſint, qui hæc tractent: tractant porrò milites, & Duces; de militibus primo, in quibus non mediocris vis belli conſiſtit, nobis erit perquirendum. Milites autem ſunt homines à Magiſtratu ad bellum tractandum præuio iuramento electi.

XLIIII.

ILLORVM, vt inquit Vlp. in l. 15. ff. de teſt. milit. nomen à militia deducitur, ideſt duritia, quàm pro nobis ſuſtinent: aut à malo, quod arcere milites ſolent; aut à numero mille hominū, vt ſi miles quaſi milleſimus, vnus puta, ex mille electus.

XLV.

DIVERSI generis milites ſunt: alij.n. primarij, vel maiores: alij gregarij, ſiue minores: nōnulli ordinarij, limitanei, ſtationarij, ſubſidiarij, domeſtici, extranei nuncupantur: qui omnes aut ſunt pedites, vel equites; grauis vel leuis armaturæ.

XLVI.

SED quinam inter equites & pedites, partes primas obtinere debeant non ſatis liquet: quidam enim plus in bello prodeſſe equites, quàm pedites afferunt, quidam ècontra. Vtrinque ſecus fortiſſimis argumentis caſtra vallantur. Nos verò cum illis, qui plus exercitus roboris, in peditibus conſtare autumant, ſtamus.

XLVII.

CIRCA autem ipſos milites hæc conſideranda veniunt. Primo conſcriptio. Secundo delectus. Tertio luſtratio. Quarto receptio, & auctoratio. Quinto iuramenti pręſtatio. Conſcriptio fit, vel ex improuiſo, vel ex deliberato. Ex improuiſo, campanæ, vt plurimum pulſu, vel fulminalis machinæ ſonitu, vel tuba, vel timpano ad certum locum milites armati vocantur: ex deliberato, Magiſtratus iuſſu, qui certo die, & loco milites adeſſe iubet, & ex ijs certum numerum, reliquis dimiſſis retinet.

XLVIII.

NEC vero tanti conſcripſiſſe milites refert, quàm quantũ omnes à reliqua imbelli plebe in vniuerſum ſeiunxiſſe: quare ſingulari delectu opus eſt: nec curandum, quam multos, ſed quam bonos militiæ adſcribas: nam ſine diſcrimine facta militum conquiſitio, perniciẽ potius quàm vtilitatem in remp. induxit; multarumq; calamitatum ſæpius cauſa extitit: vnde compertum fuit, ad ſolùm hoſtium aduentantium clamorem, ac ſtrepitum, caſtra hos dereliquiſſe, infœliciq́ue auſpitio, pugnas commiſſas fuiſſe.

XLIX.

CVI ergo in votis eſt exercitum conſcribere, ad has boni, & fortis militis notas, ac certa indicia reſpicere debebit. Ad patriam, ætatem, corpus, animum, & vitam: exteriora enim ſigna interioris animi dotes, & indicia referunt. Ad patriam, quod attinet, in ea natum, vel commendare, vel reprobare ſolet I. C. in l. 31. §. 21. ff. de ædil. edicto; necnon Vegetius cœlum, ſolumq́; extollit, dum dicit gentem genti in bello præferri: plagamq́; cœli, non ad robur tantum corporis, ſed & animi plurimum valere.

L.

SECVNDO ex ætate bonus miles dignoſcit; iuuenili ſcilicet, ac vegeta: nec enim pueri, nec ſenes ad arma tractanda ſunt eligendi. Illi enim martis laborum impatientes, iſti ſenio, & vigilijs confecti inhabiles exiſtũt. Idonea itaque ætas erit, à 17. vſque ad 50. ann. in qua iuuentus continua exercitationis meditatione, facillimè bellicis artibus, ac legibus imbuitur, veraq; martis proles euadit.

TVM.

L I.

TVM, & corporis habitudinis,ſeu ſtructuræ ratio eſt habenda: illamq; non grandem,nō perlongam,neq; paruam, ſed mediocrem approbamus. Sictamen, vt ex vultu, ex oculis, ex omni membrorum conformatione eos eligas: nempè quibus ſunt dura corpora, ſtricti artus, minaces vultus, denique maior animi vigor.

L I I.

TIRONES debent eſſe vigilātibus oculis, erecta ceruice, lato pectore, humeris muſculoſis, valentibus digitis, longiorib. brachijs, ventre modico, cruribus exiliorib. ſuris & pedibus non ſuperflua carne diſtentis, ſed neruorum duritie collectis: neque ij tantū milites, qui corporis robore valent, verùm, & qui animi dotibus illuſtrantur, in album militum ſunt reducendi: nimirùm, qui legum obſeruātiſſimi, ijdem in hoſtes audaciſſimi, quivè nihil aliud, niſi turpem metuunt famam.

L I I I.

VLTIMAM denique boni militis notam, in vitæ genere collocatam eſſe diximus: nam ad molitiem, aut duritiē, ignauiam, aut ferociam haud leuiter hoc facit. Itaque talis erit miles, qui ſub dio in labore perſiſtens, ſolis ardoris patiens, vmbræ negligens, delitiarum ignarus, ſimplicis animi, paruo contentus, duratis ad omnem laborum tolerātiam membris, qui ferrum geſtare, foſſam ducere, onus tandem ferre queat. Aſt iſte nullus eſſe, niſi ruſticus poteſt dicet aliquis? cum de ruſticorū grege hæc ſint: quod aſſerere, quid aliud eſſet, quā Vrbanis viris notam dedecoris maximam infligere, atq; à generoſis nobilium animis innatam honoris gloriam inuerecundè detrahere.

LIIII.

NOS itaque diſidioſos animi motus tollentes; vtrumque & agreſtem, & vrbanum exercitio ſtrenuum, ac eximium euadere poſſe iudicamus: & vrbanum quidem citius: niſi ſedentarijs opificijs, & vmbratili quæſtu eneruatus exiſtat: fabros verò ferrarios, carpentarios, ceruorum, aprorumq; venatores, & militiæ aſſociare conuenit.

L V.

HIC inter Polyticos profeſſores, ardua mirùm, & dubia exoritur quæſtio, an in delectu domeſtici, & indigenæ; an vero peregrini, & mercenarij milites ſint in exercitu præferendi. Vtiliùs, & ſecuriùs domeſticos preferri arbitramur: qui ſi non ſufficiant, tum demum ad extraneos deuenietur; ſed ad eos, qui nobis, quam proximè vicini fuerint: vel certè magis bellicoſi, & minùs graues: nunquam tamen, vt corpus, ſed membra tantum conſtituant.

L V I.

CÆTERVM lecti milites conuocari ſolent ad certum diem, & locum, eumque amplum, & patentem; in quo ipſorum mores, & arma explorantur; qualis, & quam idoneus quiſque ad militiā ſit: probati recipiuntur, & de nouo in peculiari catalogo à duce belli, vel officiali inſcribuntur. Quique approbati ſunt, aliquid illis authorationis, ſymbolum videlicet, pecunia, vel aliquod armorum genus datur. Omnesque ſi non ſigillatim ſaltem ſimul iuramentum præſtant, ſe nimirùm D uci morem geſturos, nec fugam capturos, nec mortem obtracturos: articulosque militares, vt vocant ſtrenuè obſeruaturos.

DE DISCIPLINA MILITARI.

LVII.

SED neque hi diſciplina, & legibus militaribus, præcipuo eorum vinculo, & ſtabilimento, totiusque exercitus tenaciſſimo vinculo deſtituuntur: quæ diſciplina parentibus Romanis antiquior fuit charitate liberorum; vt Paulus I.C. in l. poſtliminium 19. §. filiũ. ff. de cap. & poſtlim. reuerſ. vtporè, quòd in eorum ſinu, & tutela, ſerenus, tranquillusque beatæ pacis ſtatus conquieſcat.

LVIII.

VNDE quam craſsè errent ij, qui putant inter arma ſilere Leges (cum illo tempore ſit pro lege, & ratione voluntas) facile eſt videre; cum maximè ijs opus ſit, non tam ciuilibus, quàm militaribus, quæ longè alijs ſunt ſeueriores. Verùm nonne Iuſtinianus in l. fi §. 1. C. de iure delib. aſſerit, milites arma potius, quam leges ſcire debere? Sed de paganorum, nõ militaribus legibus eſt Imperator intelligendus: turpè enim alicui eſſet, ius in quo verſatur ignorare.

LIX.

VERVM enim verò, vt diſciplinæ militaris ſeueritas clarius eluceſcat, quoſdam proponere placet caſus, ex quibus, quantum legem iuris communis militia in ſua auſteritate antecellat, colligere licebit. Nam nonne id rigidum dictu, cum alioquin, & quis laude dignus ſit, aliumq; ſibi obſtrictum reddat, ſi mãdatum plenius

quam

quam impoſitum fuerit adimpleat: in militia tamen capitis quoque pœna huic conſtituitur, quamuis res fęliciter ſucceſſerit.

L X.

ADEO autem ſtrictè Ducis ſui mandatum miles exequi debet, vt etiáſi examinatim ponderãdo pręcognoſcat, rem proſperè non euenturã: mandatum tamen pręcisè obſeruabit, itaut per æquiualentia nequeat illud expedire.

L X I.

TVM demũ in re militari, oĩs ſegnitia, & deſidia in crimẽ eſt: immo ꝑ flagitioſam ignauiã deliteſcens, gladio punitur: vtpotè, & omnis contumacia, & irreuerentia aduerſus Duces, & ſimiles non impunita abit. Non minùs etiam illi, qui tales non protegunt, vel deſerunt, vt occidãtur: multo ergo magis ſi ipſi illis manus inferãt.

L X I I.

SI quis commilitonem gladio vulnerauerit, metu hoſtiũ morbum ſimulauerit, vel ſe ipſum vulnerauerit, primus ex acie fugerit; quamuis alij demùm fugerint, licet fugiendi aliqua ſubeſſet cauſa: ſi quis ad hoſtem ſe receperit: ſi dùm fugam capeſceret deprehenſus fuerit: ſic & ille, qui atrocem militum ſeditionem concitauerit, capitali pęnæ hi omnes erunt obnoxij.

L X I I I.

QVI vallum trãſcenderit; vel in caſtra ſecùs, quàm per portas fuerit ingreſſus: qui excubias deſeruerit, in vigilijs expoſitus teſſeræ, vel ſymboli oblitus, vel in eiſdem conſtitutus dormiens deprehenſus fuerit, vel qui eas deſeruit, ante quam alius ei ſuccederet in capitis pœnam omnes incurrunt.

LXIIII.

QVI foſſas tranſilierit, militia exuitur, qui arma amiſerit, vel alienauerit, olim capite puniebatur, hodiè mitiùs: q verò agmine exceſſerit; vel de via deflexerit, aut ſtationis munùs nõ fuerit exequutus, fuſtibus cęditur, vel aliter grauiter punitur. Sunt & alia multa, quæ ad diſciplinæ militaris auſteritatem ſpectant, quæ hic conſulto prætereo.

LXV.

OMNIS verò diſciplina militaris in danda, & obſeruanda ratione uiuendi, inque ſtricta militis conformatione ad robur, & virtutem eſt conſtituta. Cuius partes, ſiue munia quatuor aſſignamus. Exercitium ſcilicet, ordinem, coercitionem, & exempla; exercitium, & ordo ad robur; coercitio ad virtutem; exempla ad vtrunque ſpectant.

LXVI.

EXERCITIVM militare, eſt quo milites aſſiduè inſtruuntur, ac ad continuũ armorũ vſum, & graue militiæ opus exercent. Vndè ẽt exercitus nomen manauit, q melior fiat exercitando; plus enim vſus, quàm vires poſſunt: nec armorum numerus, ſed continua exercitatio artẽ militarem docet. Maximè quod milites otio torperſcẽtes laſciuiant, & ad ſeditiones proni fiant: otium enim in exercitu pernicioſiſſimum eſt, & quaſi vnicus fons, atque ſeditionum omnium origo.

LXVII.

PARS bellicæ diſciplinæ ſecunda in ordine conſiſtit, quẽ in bello ſeruare maximi momenti eſt: immo nihil eo ſalutarius, nihilque tutius. Cum ordinatus exercitus, ſit aſpectu amicis iucundiſſimus, hoſtibus moleſtiſſimus.

Ordo

Ordo conſiſtit in dirigendis copijs per cohortes, centurias, decurias, & acies diſtinctas, quæ ex pluribus partibus conſtantes faciliores, & expeditiores exiſtunt, ad imperia capeſcenda.

LXVIII.

TERTIA pars ſuccedit, ſcilicet coercitio, quæ mores militum coercet, ac refrenat; & robur, militaremq; ordinem in exercitu conſeruat per continentiam, modeſtiam, & abſtinentiam. Continentia in cibo, & venere exigitur, ne milites effusè ſint conuiuijs, & veneri deditì: vtraque enim res eneruem, & degenerem à robore militari militem reddit.

LXIX.

IDEOQ; à caſtris luxurioſos cōuiuiorum apparatus, & libidinum inſtrumenta, Dux belli arcebit. Sic enim Scipio publico edicto, omnes è caſtris exire iuſſit, q cibos delicatiores importarent, ac venderent; & in bello numantico, ſub pęna grauiſſima iuſſit omnes, qui elixo dia, atq; delicatiora venderent, è caſtris exire, nec vnquam reuerti, niſi frumenta adducerent.

LXX.

MODESTIA inſuper militū exigitur in verbis, veſtibus, & factis. In verbis ne ſint vani, bucca turgidi, clamoſi, minaces, verbis ſolis feroces, aduerſus hoſtes contumelioſi, vltrò eos ad certamen prouocantes; hi enim, cum in conuiuijs, & circulis de hoſtibus ſermo incidit vix manibus temperant, pugnant, cum potant.

LXXI.

HI galeati lepores, primo quidem impetu ſunt alacres, quaſi nihil metuant, ſolique omne belli periculum velint ſuſtinere, ſibique ante oculos victoriam pollicentur.

tur. Sed ipſis Mars eſt in lingua ventoſa, ſuntque, vt vates loquitur, fugacibus pedibus. Quid enim? Vix vultũ hoſtium ſuſtinent, cum ad prælium vẽtum eſt; animũq; vna cum armis abijciunt, vitæ, famæque ſpem in pedũ celeritate audaciter collocant.

LXXII.

E CONTRA fortiſſimi viri non nimiùm ſunt cõfidentes, neque etiam nimiùm timidi; ante pericula ſunt taciti, modeſti, & placidi, quibus ſcilicet pectus animorum, iræque tacitæ plenum; quique omnem ferociam in certaminis diſcrimen differunt, hoſtemq́; conuitijs nõ laceſcunt, nec ante tempus victoriam ſibi pollicentur.

LXXIII.

NORVNT enim Martem eſſe dubium, fortunamq́; belli variam: in pugna namque, & certamine ſunt acres, animoſi, ſtrenui: non deſiſtunt, niſi, aut glorioſè vincãt, aut occumbant. Quare Dux belli ventoſas huiuſcemodi linguas, impetusq́ue cæcos compeſcet, & cum Memmone dicet, pugnare te conduxi, non conuitiari.

LXXIV.

MILITVM prætereà modeſtia in veſtibus eſt neceſſaria: Omnis namque ſplendor, ornatus nimiùs, & iactantia illis vitanda. Illa quippè prædæ, potiusquam armis inſeruiunt: nitentia ante rem, deformia inter ſanguinem, & vulnera. Hac de cauſa Romani horridum militem eſſe volebant, non auro, argentoq́ue cęlatum, ſed ferro, armisque fretum. Sic Peſcennius Niger Imp. nolebat à milite aurum, & gemmam in acie apportari, ne hoſtis prædæ cupidine inflammaretur: quæ omnia etiam fœminas imbelles, fortiores, & ardentiores in prælijs faciunt.

LXXV.

VLTIMO denique modeſtia in factis exigitur, vt milites ſint obedientes, & ad Ducis ſui non ſignum modò, ſed & nutum intenti, non curioſi, refractarij, aut iuſſa Ducum interpretantes magis, quàm exequentes, vel etiam in illa inquirentes. Nam, vt inquit bonus Dux Braſidas, tria ſunt bona militiæ capita, velle, vereri, & obedire.

LXXVI.

TERTIVM coercitionis adiunctum abſtinentia eſt, quæ illos à violentia, & deprædatione arcet; vt à vi, rapiniſvè, & præſertim ſacrarũ rerũ religioſè abſtineant, & annuis ſtipendijs ſint contenti; Prouinciales non infeſtent, ſed cum illis, tanquam cum amicis viuant; & ita tranſeant, vt non modo manus, ſed & ipſam mentem ab ira, & faſtu immunem ſeruent.

ARCVS SEPTIMVS.

DE REQVISITIS IN DVCE BELLI.

LXXVII.

ACTVM hucusque de militibus, eorumque diſciplina fuit: proximum nunc eſt, vt de officialibus, inter quos Dux, ſiue Princeps primas obtinet, videamus; Cuius officium, non in eo tantùm eſt conſtitutum, vt leges, diſciplinasque militares det, quam vt eas quoq; conſeruet: vti I. C. Macer. rectè in l. officium. 12. ff. de re milit. monet: nulla verò ratione, eæ melius ſeruãtur, quàm ſi ipſi integra morum honeſtate, bonoque exemplo militibus, alijsvè præeant.

NAM

LXXVIII.

NAM apud antiquos,ad ſummis cęlum laudibus ille Dux ferebatur, qui militibus monſtraret potiùs tolerare labores , quàm iuberet ; Et à quo milites non tam diſciplinam,quàm exemplum acciperent. Et quamuis notius ſit,quā vt hic de eo inquiratur,quantum referat bonum aliquem Ducem præeſſe exercitui ; breuiter tamē hæc in primis illum ornant: ſcientia nempè rei militaris,virtus,prouidentia, fœlicitas,& auctoritas.

LXXIX.

PRIMO ergo ſcientia rei militaris , ſeu peritia in Duce requiritur : vt Dux artis ſuæ ſit gnarus , & in militia probè exercitatus: nullumq́ue genus belli ſit, in quo fortuna eum non exercuerit , quiſquis enim exercitui imperat,cum nunquam fuerit miles,is planè hecatomben hoſtibus educit. Quod ſi rei militaris non periti, ſed cuiuſuis vocationis homines ex fauore, non ex virtute, & merito exercitui præficiantur,ſtudium militare perit.

LXXX.

SED hic anxie à politicis ſectatoribus controuertitur,an hæc rei militaris ſciētia debeat in ipſo Duce, vel Principe neceſſario requiri,an ſufficiat , vt hunc defectum , eius ſuppleat Vicarius. Et quamuis hincindè acerrimi ſectatores reperiantur,qui modò hanc, modò illā opinionem ſequuntur ; nos tamen illorum ſententiam ſuſtinere non erubeſcemus,qui exiſtimant ſatis eſſe, ſi illius fidus Vicarius exactam rei militaris ſcientiam teneat.

LXXXI.

SECVNDVM boni Ducis requiſitum virtus eſt,quę animi-

mi probitatem, ſeu fidem, continentiam, & temperantiam, fortitudinem in periculis, patientiamque in labore, audaciam, & alacritatem compræhendit; ſunt & aliç comites, huiuſque virtutis eximiæ partes, ac pediſequç, quas niſi omnes, aut pleraſque Dux habeat, non poteſt in aliquo haberi numero.

LXXXII.

TENEAT igitur, & inſuper exactam caſtrorum metandorum rationem: vt ſcilicet aciem prudenter, cùm ad reſiſtendum, tùm ad vim inferēdam diſponat, maxima ſi quidem vtilitas, & plurimum in recta aciei inſtructione momentum conſtituitur. Sapienter enim acies diſpoſita maximè iuuat: ſin imperitè minùs; & quamuis optimi bellatores exiſtant, mala diſpoſitione facilè franguntur.

LXXXIII.

IN acie ritè inſtruenda, vel diuidenda, vtile nonnulli cenſent, eam per nationes, genteſque diſponi: vt diſcretus labor fortes ignauoſque diſtinguat, atq; ita ipſa contentione diuerſificētur, ſimulque inuicem glorioſa inuidia accendantur: quòd fiet, ſi animoſiores præferantur: adeò vt exteri, & mercenarij proximi ſint diſcrimini, & domeſtico ſanguini parcatur.

LXXXIV.

LOCVM caſtra ponendi, ſiue pugnandi, ipſe belli Dux, ſi fieri poſſit, eiusq; opportunitatem, reſpicere, & examinare debebit, ad hoc vt hoſtem ſecurè, eumque tempeſtiuè aggredi, aut includere valeat: enimverò dimidia victoria in loci opportunitate, eiusque ſituatione eſt collocata: cum non minus locus, immo magis, quā virtus, ad victoriam proſit.

LXXXV.

HIC moueri ſolet quæſtio, non minus elegans, quã utilis: an ſcilicet præſtet hoſtem bellum inferentem domi expectare, an uerò expediat ei occurrere, & extra patriæ fines illum adoriri: & in hoc illorum ſententiam amplectimur, qui hoſtem præueniendum eſſe, in ſuaq; terra obruendum aſſerunt.

LXXXVI.

NON minus item belli Imperatori neceſſarium erit, ut tempus, & pugnandi occaſionem ſeruet: nota enim eſt Porcij Latronis ſentẽtia, qua L. Catelinam ita compellebat: non in gerendis negotijs ignoras ſequendã eſſe tẽporum opportunitatem; & in rerum occaſione diſſidiam, & tarditatem omnem, quam diligentiſſimè fugiendam. Mutabiliſſimæ ſi quidem ſunt Deorum uoluntates (ſed hoc, Ethnicorũ more) & fortunã cũ abire permiſeris, fruſtrà poſtmodum fugientem, ac diſcedentem ſis imploraturus.

LXXXVII.

VALET equidem in omnibus rebus humanis occaſio, ſed maximè in bellicis, imo amplius in bello ſolet iuuare, quã uirtus: itaut non immerito à nonnullis actionum anima dictitetur. Ergo Ducis partes erunt, ne ſuæ occaſioni deſit, neq; ſuã temerè hoſti det: eſt enim Ducis, & uiri, non deeſſe fortunæ præſenti, ſed & oblata caſu flectere ad conſilium.

LXXXVIII.

AMPLIVS in omnia Imperator inquirat, ut hoſtilis exercitus, quã ſua cuncta habeat perſpecta; proſpicereq; debet, an neceſſaria bello diuturno ſufficiant, necne: tum & hoſtium Ducis ingenium præcognoſcet, an ſcilicet

initio tantùm vehementi, an verò ſibi conſtet. Deniq; aduerſariorum numerum, naturam, mores, eorúq; diſciplinam, annonam, locorumq; ſitum, &c. perpendet: difficilè ſiquidem is vincitur, qui de ſuis, & aduerſariorum copijs poteſt perfectè diiudicare.

LXXXIX.

NEQVE ſatis erit, ſi Imperator aduerſarias virès cognoſcat, ſed & conſilia, eorumque facta explorata teneat, ſuaq; ſecreta ſeruet. Nihil enim perniciosius in bello, quàm Ducis conſilia foras eliminari; nihil vtilius, quã ea occultari. Vndè in eo toti eſſe debent Imperatores, vt ſua in ſecreto habeant conſilia omnia: & imitatores ſint Metelli, qui à quodam interrogatus, quid poſtero die facturus eſſet, reſpondit comburam tunicam meã, ſi eam conſiliorum meorum gnaram cognouero.

X C.

HACTENVS ea, quæ circa ſecundum boni Ducis requiſitum verſantur, ſumus proſecuti. Hic eorum occaſione, quę de ſciẽtia rei militaris, & Ducis virtute in medium attulimus, non immerito à politicis controuerſia mouetur; vtra ſit præferẽda, an virtus ſcientiæ, an hæc illi? Nos quidquid alij reclament ſcientiam rei militaris virtuti pręferendam eſſe iudicamus.

X C I.

TERTIVM τεκμήριον boni Ducis eſt prouidentia: vt nimirũ ſit Dux cautus, circũſpectus, & prouidẽs, nec ullo loco, niſi quantũ neceſſitas cogat, vel sũma occaſio ſuadeat, caſui fortuito ſe committat: ſitque ab omni temeritate alienus, non audaculus, vel properè feſtinans, reſpiciatq; ſimul, & proſpiciat.

XCII.

QVARTO loco in Duce fęlicitas requiritur: cuius, in omni re, in militari præſertim, maxima eſt poteſtas: illa nãque ferè conſilij, & rõnis comes eſt: qua de cauſa peritiã rei militaris, virtutem, & authoritatem Ducis comitem plerumque habere fœlicitatem, nonnulli iudicarunt; quapropter optimè aſſerit Curtius inquiens eximiam gloriam, & potentiam, ſæpius fortunæ, quã virtutis eſſe beneficium.

XCIII.

FORTVNA enim benignius à Deo quibuſdã tributa eſt, & quibuſdam ſummis alioquin viris denegata, qui domi equum Seianum habẽt, vt Veteres dixerunt, adeo vt cuicunque rei manum admouent, eo ſe vertat: & nõnulli ſunt quibus dormientibus dij omnia conficiunt, venti, & tempeſtates ſuccedunt, & quaſi de cœlo eis victoria in ſinum cadit, quique aureo reti vrbes capiunt, vt ijs ad amplitudinem, & ad res magnas benè gerendas, diuinitus adiunctam fortunam dicas.

XCIIII.

VLTIMVM tandem requiſitum, quod Ducem ornat, auctoritas eſt. Nam vbi non eſt auctoritas, ibi nec militũ, nec hoſtium timor interuenire poteſt: & ſanè ad bella adminiſtranda vehementer pertinet quid hoſtes, quiduè ſocij de belli Duce ſentiant. Homines enim in tantis rebus, non minùs fama, quàm certa aliqua ratione commouentur, vt aut contemnant, aut metuant, odio, aut amore proſequantur.

XCV.

MASCVLA, & hic ſeſe diſcutiendã illa quæſtio offert: vtrum præſtet belli ſupremum Ducem virum aliquem

ex

ex illuſtri, vel etiam Principe familia habere; an alium aliquem inferiori loco natum, ſed magni vſus, & diù in re bellica fœliciter verſatum? illuſtrem præferendum defendam, ſi quidem rei militaris non imperitus, & eo ingenio ſit, vt peritiores lubenter conſulat, & ſequatur: aliàs verò longè huic poſtponendum.

XCVI.

QVÆRITVR prçtereà num expediat, vt Imperator, ſeu belli dux ſua prçſentia aciei interſit, vel non? affirmantibus aſſentior. Nam fortis ducis præſentia, res ſemper florere, augeriq́ue viſæ ſunt; abſentia verò, aut debilitari, aut corruere. Princeps enim in exercitu, tanquam ſol eſt, qui militum animos recreat, ad fortitudinem, atque conſtantiam inflammat: & quæ alioquin dictu ſolùm incredibilia videbantur, fçliciter eorum prçſentia fuere ſuperata.

XCVII.

ET quemadmodum prius de militibus, ita hic quoq; circa belli Ducem controuertitur, an præficiendus exercitui ſit externus aliquis, an indigena? cæteris paribus malo & ego, indigenam præferri.

XCVIII.

LVBET hic excutere quçſtionem illam in ſcholis politicorum frequenti ſermone agitatam: an Princeps clementior, an iuſtior optandus ſit. Nos illorum veſtigia, qui docent, & comprobant, clementiorem Principem optandum eſſe, ſequemur.

XCIX.

NEC illud inconcuſſum relinquitur; vtra in imperio ſit præferenda, ſucceſſio, an electio: penes nos maioris argumenta ſunt ponderis, quæ ſucceſſionem ſuadent.

QVID DVCI POST PVGNAM *curandum*.

C.

VT vero ad pugnam, ita etiam poſt pugnam, vel in ipſa iam parta victoria ſtrenuo duci opus eſt prudentia: in primis autem, vt ea cautè, & maturè vti norit, non abuti: quamuis enim magni momenti ſit res amplas perficere, & victoriam ab hoſtibus pugnando reportare: multo tamen maior cautio, & peritia requiritur, vt quæ præclarè geſta ſunt, rectè, & commodè vſurpentur.

C I.

ARCEAT propterea Dux militē ſuum à ſpolijs, quādiù adhuc non plenam victoriam fuerit conſequutus: nam ſæpè obſtitit vincentibus prauum inter ipſos certamē omiſſo hoſte ſpolia conſectandi: meminiſſe enim illos decet, ſatiùs eſſe quæſtum penſare trophæo, prioremque metallo victoriam: nec milites auri, ſed victoriæ ſplendore inſigniri.

C I I.

INSVPER profligato, & fugienti hoſti, aliquem de induſtria exitum, & locum, vt elabi poſſit relinquat: neque fuſos non nimiùm longè inſequatur, neque illis pertinaciter inſiſtat, quibus voluerunt antiqui, aureū potius pontem ad fugam ſtruendum, quam viam fugæ præcludendam. Clauſis enim licet exiguis numero, & infirmis viribus ex deſperatione creſcit audacia, & cū

ſpei

ſpei nihil eſt, ſumit arma formido; acerrima namq; virtus eſt, quam vltima neceſſitas ingerit.

CIII.

IN eum verò caſum, quo victoria ab hoſte ſteterit, vel inclinare cęperit, prudens quoque Dux proſpicere debet, vt iam fugiturientes in aciem reducere omnibus modis conetur; eos ſcilicet ſpe ſpoliorum, victoriæ, & ſimilium inflammando, & excitando: ſi non, vt quantùm poſſit, in tutiorem aliquem locum colligat, & inde per inſidias, hoſtem vel ſpolijs intentum, vel nihil ſibi ex victoria timentem rurſus inuadat.

CIV.

ANIMADVERTET, vt commiſſo prælio vulneratorum militum cura habeatur, cadaueraque cæſorum militum præſertim officialium, terrę, vel ſepulchris mandentur; nec non hoſtium cadauera, maiorum præcipuè dum propter honorem, & humani corporis reuerentiã, ſepelienda curabit.

CV.

VICTORIA Deo præcipuè adſcribenda erit, eique ſolemnes gratiæ in publico perſoluendæ. Poſteà concedẽda læta indicia victori erunt; vt eſt triumphus, ignes ſuccenſi, ſolemnitates publicę, gratulationes, & victoriæ ſignificationes ad exteros Principes.

CVI.

SPOLIA verò mobilia, communiter capta finito bello, pro merito, cuiusque labore, & fortitudine erunt à duce belli militib. diſtribuenda, & aſſignanda: immobilia victori duci, qui bellum indixit, applicentur. Tandem acuratè Dux obſeruet, ne parta victoria, milites rerum abundantia, voluptatis, & luxuriæ oceano ſeſe immergant: vt deinde rem militarem ſegniùs in poſterùm tractẽt. Et hic rerũ bellicarũ terminus hæreat. PA-

PARERGA POLITICA.

1 POLITICA eſt doctrina Reip. ritè adminiſtrandæ, ſeu gerendæ, q̃ certis præceptis traditur, ac certis regulis acquiritur.

2 Reſpubl. eſt ordo regiminis hominũ, certis iubendi, parendíque legibus inter ſe bono publico deuinctorũ.

3 Homo ad Ciuilẽ ſocietatẽ natus, ſolitariã vitam fugiet.

4 Monarchiam cæteris cunctis ſtatibus præfero.

5 Priores Ariſtocratiæ, quàm Democratiæ partes attribuimus.

6 Gynæcocratiam, vtpotè periculosũ gubernandi modum reijcio.

7 Leges humanæ habent tàm naturalem, quàm ciuilem obligandi vim in conſcientijs.

8 Legum correctionẽ, mutationemq́ue modò neceſſitas exigat, admittimus.

9 Leges veſtiarias, ac sũptuarias, in benè conſtituta Rep. ſanciendas eſſe, omnis ratio poſtulat.

10 Ad Magiſtratũ, & publica officia, iuuenibus viam non præcludimus.

11 Infimo, & obſcuro loco natos, modò virtute illuſtrentur, à Magiſtratu non remoueo.

12 Inuitis Magiſtratus ob publicam vtilitatem defertur.

13 Legatorũ delicta, immunitatem, & libertatem illis non auferunt.

14 Exteros nõ promiſcuè ad conſiliũ dandũ admittimus.

15 Magiſtratus, & Iudex, ab omni ambitione, corruptione, gratia, & miſericordia alienus ſit.

16 Iudex, & Magiſtratus, ne ſeuerus, & lenis nimiū exiſtat, ſed interutrumq; medium ſeruet.

17 Nobilis genere is eſt, q illuſtri loco nat' honeſtè degit.

18 Meritis nobilis is eſt; qui virtute, & eruditione illuſtris eſt, quem genere ſolum claro antepono.

19 Vndè quæſitū eſt, ſi genere nobilis vna virtute, aut doctrina præſtet; plebeius verò perindè; vter alteri ſit præferendus? Nobilis cæteris paribus, nobis erit antiquior.

20 Iudicandi, & aduocandi munùs haudquaquam nobilitati, officit.

21 Qui negotiationibus, ac mercenarijs exercitijs ſtudent nobiles haberi nequeunt.

22 Integram familiam maritus, vxor, vna proles, vel ſeruus, aut famulus conſtituunt.

23 Non eſt ius vitæ, & necis parētibus in liberos permittendum.

24 Mariti poteſtas in vxorem circa animaduerſionem, & quidem leuem verſatur; grauis namque ad Magiſtratum ſpectat.

MISCELLANEA.

1 DAtur elementum purum.
Sub Lunæ cōcauo verè datur ignis elementaris.

2 Cometa ex multa exhalatione craſſa, & benè cōpacta, multumque calida fit.

3 Luminoſum corpus, q Magis in Chriſti natiuitate apparuit, cometa non erat; ſed vel ſtella, vel corpus aliquod ab Angelis, ex vaporibus, & exhalationib. compactum.

4 Proxima vẽtorũ cauſa ſol non eſt: neq; exhalatio, quæ ſurſum tendens, à nube obiecta repercutitur.

5 Iris eſt arcus varij coloris apparẽtis, in perſpicuo humido, ab aliquo opaco terminato, qui à radijs reflexi luminis terminatur.

6 Diuerſi Iridis colores, quos ſol facit, ex eius radijs vniformiter, & diformiter debilitatis, à creſcente uniformiter, & diformiter opacitate promanant.

7 Formalis colorũ ratio, lux, vt quibuſdã placuit, nõ eſt.

8 Color in ſola corporum ſuperficie non reſidet.

9 Colores reales à certa primarũ qualitatum tẽperie deſcendunt.

10 Diuerſitas mediorum colorum ex mixtione albi, & nigri oritur.

11 Fit niuis albedo ex aereo aqueo agitato.

12 Maris æſtũ non Solis, aut Lunæ uiribus, ſed motui primi mobilis attribuimus.

13 Maris ſalſedo ex ſolis calore, partes ſubtiliores aqueas ex eo educentis, terreis aduſtis remanentibus fit.

14 Cur Deus mari ſalſedinẽ indidit? an quia perpetuò ſolis calore computreſceret? an quia aqua ſalſa propter maiorem grauitatem, & craſſitiem aptior ad nauigandum exiſtat? an quia ex aquæ ſalſedine infinitæ penè utilitates ad homines proueniant.

15 Aurum metallũ perfectiſſimum ex exhalationibus cõcretis, & perfectiſſimè commixtis, quorũ partes terreæ accedunt ad naturam puriſſimi, & ſubtiliſſimi ſulfuris, quod auri pater eſt; partes uerò humidæ, ad argenti uiui defecatiſſimi naturã, qđ eius mater eſt.

16 Longè probabilius eſt poſſe Chymicam artem finem ſuum conſequi, ideſt uerum aurum producere.

Chryſo-

17 Chryſopæiam à mechanicis artibus eripimus, & inter ingenuas connumeramus.

18 Alchimiam licitam, nec vllo iure prohibitam, immo & inter artes metallarias receptam eſſe aſſerimus.

19 Fuiſſe olim Centauros, & poſſe etiã hodie exiſtere, non repugnat.

20 Naturaliter, quin dari poſſint Satiri, Sirenæ, Tritones non abſonum.

21 Satiri, Sirenæ, Tritones, ſi præter humanã figuram nihil rationis oſtendant, eos ab hominũ cenſu vindicandos, & in beſtiarum numerum relegandos iudico.

22 Cur Camæleon, & Polypus colorẽ illum, quem proximè attingunt, induunt, præter album, & rubrum? an qa plures humores diuerſi coloris huic animali à natura inditi ſub extimam cutem, quæ tenuiſſima eſt, & perlucida, pro varietate imaginationis auocentur, perque illã tum demum tralucescant eodem fere modo, quo homines affluente ad genas ſanguine rubeſcant, & recedente expaleſcant: & propterea Polypus rubrum colorem non repreſentat, quamuis rubrum corpus tãgat, quia ſanguine caret. Cameleon verò tàm exigui ſanguinis eſt, vt rectè ex Ariſtotile, & Plin. Geſnerus aduertit, vt perſpicuè non poſſit traluceſcere.

23 Cur Leo ignẽ, & Gallum præſertim albũ pertimeſcat? aliam cauſam, quam antipathiam eorum non inuenio.

24 Cur remora ſiſtat naues velociſſimè currẽtes? ad qualitates occultas eſt deueniendum.

25 Ridiculã, & commentitiam eorum opinionem refello, qui aſſerunt bruta diſcurſu prædita eſſe.

26 Solo contactu, viſu, voce, afflatu, oſculo, vel nudi lintei applicatione, vulnera ſanari, & alia eiuſmodi mira perfici non poſſunt.

27 Veriſſimum eſt, quod quidam profitentur, ſe per Polygraphię artem, modò alphabeto quodam ijs inſtructus ſit, licet Latinè nihil norit niſi legere, poſſe intra mediæ horæ ſpatium id conſequi, vt bonis verſibus omnes ſuas cogitationes alteri eandem artem ſcienti manifeſtet: itaut quicunque latinæ linguæ gnarus verſus illos legat, eruditè ſcriptos intelligat, ac latinitatis elegantiam laudet.

28 Idenq; aphiā naturæ conformē eſſe non ab re iudico; adeout probabiliter ex tali ſciētia quiuis ſcribentis indolem conijcere valeat.

29 Perbellè poteſt quis mentem ſuam alteri artem ſcienti indicare, cātando ſolum has quatuor voces, Vt, Re, Mi, Fa; etiam inter loquendum, prædicādum, ludendum in organo, vel cantandum.

30 Commodè, ac naturaliter poteſt quis obſeſſis ad duo, vel plura miliaria ſine nuntio, ſineq; literis, ac nullo pręuio ſigno, vel nota data animi ſui ſenſum tuto ꝑpalare.

31 Architectonica eſt ars ædes publicas, ſiue priuatas habitationi deſtinatas extruendi.

32 Architecti nō ab architectura nuncupantur, ſed ab architectonica.

33 Ædificiorū forma ex eorundēmet figura accipitur; quā artifex inducit ex efformata prius idea, ſine qua nullus artifex operatur.

34 Verum eſt, qđ Vitruu. lib. 2. cap. 3. ſcribit, dari in Hiſpania quoſdam lapides aquis ſupernatantes. Sed quo modo

modo id fieri poteſt? an quia terra, quam eruimus impura eſt, multiſq; in locis imbuta humore aliquo pingui, aereo, viſcoſo, ac tenaci, vt deinde calore ſolis, vel ignis in lapidem dureſcere poſſit, exſiccato aqueo, quod inerat, terreo autem, & aereo pingui benè inuicem ſubacto, vndè durities oritur.

35 Cur ſtridẽs arena optima eſt? an quia ſolida eſt, & non facile friabilis, vt creta? an quia aſpera eſt.

36 Cur fluuiatica arena magis tectorio conducit, & foſſitia ſtructuris eſt vtilior? an q̃a foſſitia expoſita aeri, & ſoli exſiccanti, nimium inareſcit, & obnoxia eſt rimis: quo periculo caret fluuiatica, ob ſuã humiditatẽ

37 Cur calx cũ aqua extinguitur, ferueſcit? an quia calor virtualis, hac quaſi cõditione poſita, ſe ad actualem reducit.

38 Cur calx oleo effuſo nõ ebullit, aut ferueſcit? an q̃a qualitates olei, non ſint ita cõtrariæ calcis qualitatibus, vt antiperiſtaticam actionem cauſare queant.

39 Cur Vitruuius ſuadet, & id noſtrorum aliqui religioſè ſeruant, vt dudum lapides cædantur, & in aperto cœlo duob. circiter annis relinquantur? an qiua, qui à tempeſtatibus lęſi fuerint, non ſint aperto apti, ſed fundo.

40 Cur idẽ auctor ſuadet lapides ęſtate potius cędi, ac erui quam hyeme? an quia hyeme exteriora ſunt condẽſata, vt intus exhalationes includãtur? an quia hyeme omnia, quaſi effœta ſunt, & erepta ſuo vigore ob ſolis abſentiam; nec poſſideãt ſuas debitas qualitates, præſertim ſubterraneas, ſine quibus ſi erruãtur nunquam eas foris, vbi amplius proprium locũ non habent, ſint acquiſituri.

Cur

41 Cur quædã ligna, vt caſtanea, quernus, ſub aqua cõdita ſiccantur? an quia frigore aquæ partes ligni cõſtringuntur, vt innatum humorem exprimant.

42 Cur infęcũdæ arbores, & ſylueſtres manu, ferroq; non domitæ, firmiores, ac duriores domeſticis ſunt? an quia, quod fructui deciduo foret dandum, ſeruatur trũco? an quia cultura dum arborem educat ex vna parte, ex altera lædit, vt medicinæ corpus humanũ.

43 Cur fidelius putat̃ futurum lignũ, ſi non ſtatim proſternatur, verum circũcidatur, vt ſtans areſcat? an quia ſtans magis expoſitum eſt aeri, & ventis, vt pęnitus ſiccetur? an quia qua via ferrebatur humor ſurſum, in arbore ſtante, eadem ferri poteſt deorſum attrahente ad ſe terra, poſtquam examinata eſt arbor.

44 Cur rerũ periti mandant, poſt cæſam arborẽ ſtatim cortice nudari? an quia plurimus inter eum ſucus continetur, qui obeſſe arbori poteſt.

45 Cur ædes, quę nõ habitant̃ ſunt magis interitui obnoxiæ, quam quæ habitantur? an quia ædes, quæ habitantur ab habitatoribus ſemper reficiuntur? an quia in inceſſu hominũ ipſa agitatio, ac leuis cõcuſſio ędium, magis, ac magis eas corroborat? an quia foco carent? an quia ædibus non habitatis inducit̃, quædam putredo, ob aerem pigrum incluſum, qui corruptionem demum inducit.

Laus DEO, ac Deiparæ Virgini Mariæ M.
Vt vnde principium datum.
Eo gratus finis redeat.

8075
BIBLIOTECA